

# IOANNIS

AVRPACHII AL-

TANI POEMATVM LI-

bri quatuor . Primus Elegiarum

ad præfulem Patauiensem, Ses-

cundus Funerum ad Paulum

Gmainerum . Tertius Epi-

grammatū ad Georgium

Rœschium . Quartus

Lyricorū ad Ioan-


nem Georgium

Romungium.

AVGVSTÆ RHETICÆ

Philippus Vhardus

excudebat,



*• Domino Gypiano Hagero amico:*  
*Guo Alirpachii H.*  
*Dies 5. Febr. 1748. Imperator Alibi prius honorabat. Rembese*  
*Stauffen Cantuarum e. f. d. H. Rom: Suburb. anno 79.*

M. CASPARVS MACER  
ad Ioannem Aurbachium  
Ἰωάννην Αὐραχίον.

INCUMBANT alij molliter ocio,  
Se.1 vitam cupiunt fallere turpiter,  
Nunc matre Idalia, nunc patre Libero.  
Tu vitam studijs transige deditam,  
Non gnato Semeles, non Cypriæ Deæ:  
Sic vatum referes munera largius,  
Ornatus Clario tempora munere,  
Lotus Pegaseo corpora gurgite,  
Immortale decus, nomen & arduum  
Donabunt Charites carmine Delphico.  
Mortem Musa fugat, viuere perpetim  
Conatur stabili prædita numine,  
Æterno interitum nomine nesciens.  
Hoc non Pyramides, non tribuent opes  
Pactoli gelido flumine diuitis,  
Nec turbata fori dogmata legibus,  
Ergo, Iane mei portio pectoris,  
Cura Pierio pectine fulgeas,  
Tangas atq; poli vertice lumina,

RELIGIO.



RELIGIOSISSIMO,  
ET ILLUSTRIPATRIBUS  
mino Volfgango Præfui  
li Pataviensi Ioannes Aurbachius Altanus  
S. D. P.

CUM INCIDISSEM NVPER  
in eius libri lectionem, quem Caspar Bru-  
schius Poëta, de Patavia tua edidit, humanissi-  
me simul, ac doctissime Præfui, vehementer ad-  
miratus sum virtutes tuas, & animi dotes excel-  
lentissimas, non quod illæ mihi fuerint inauditæ  
antea, sed quod nunc certius, & quasi firmitus de  
hac re iudicium nactus eam propius inspicere po-  
tuerim, & cognoscere. Cum enim a puero usq;  
ab omnibus laudés tuas celebrari audiuissem,  
nominis tui studiosissimus fui, & optavi non se-  
mel occasionem concedi mihi, qua tuæ beueuo-  
lentiaë me insinuarem. Neq; verò dubitavi ad-  
modum, quin aliquando futurum id esset, cum sci-  
rem, q̄ eccellente clarus doctrina quàm ingenua  
liberalitate animi præditus omnes amares, in qui-  
bus eruditionem aliquã liberaliorem videres,  
quamq; honestos adolescentes, in quibus iustam  
eius olim comparandæ collocatam spem esse ani-  
maduerteres, foueres. Quo ego in numero ut pos-  
sem haberi, summo labore, ac studio indefatiga-

A ij to sumi

## EPISTOLA

to sum conatus, cum nihil existimarem esse pulchrius, nihil generosius, nihil melius homine liberaliter instituto, ac eo fortassis, quo institueram, nunc peruenissem, aut certè puenire citius potuissem, nisi duriuscula mearum rerum conditio, ac nescio quæ sinistra Iuno me, qui strenuè quidem curerem, sed inculcra spacij ac peritatem superare non possem, impediuisset. Quare tamen horum temporum difficultatè, ac multo plus, quàm Thersiticam in istiusmodi rebus carpendis, ac tantum non damnaudis libidine considerabam, & ideo per mihi esse difficile poemata edere uidebam (nihil enim in hoc genere placere solet, quod non genuina sua vi lectorum animos ad se rapiat, vel singulari industria perpolitum sit) nolui tamen latere diutius, sed fortunam quoque experiri, atque in hominum conspectum liberio rem prodire. Admonebant, & propemodum cogebant me aliorum non dissimiles nugæ, quæ si meis deteriores non sunt, minore tamen eas cum tædio, quam meas legi posse non arbitròr. Cæterum, quæ fuerint aliæ causæ, ut sunt nonnullæ, hoc in loco enumerare nec debeo, nec possum, faciam hoc, si omnino mihi faciendum erit, commodius alio tempore. Tibi autem, præsul mitissime, quod hunc Elegiarum librum dicare volui, præstantissimæ virtutes tuæ fecerunt, atque liberalis illa doctrina, qua confectum esse putavi, ut honestorum adolescentum honestissimos conatus non impedire modo non velis, sed

## DEDICATORIA.

sed omni auxilio subleuare cogites. Accessit huc doctissimi viri Viti Amerpachij præceptoris mei summo studio, ac pietate colendi auctoritas, cui cum explicuissem consilij mei rationes, librumque ostendissem, propositum meum non modo non repræhendit, verum etiam probauit, atque laudauit. Idcirco cum nihil aliud obstare mihi videatur, te rogo, illustris Princeps, & præsul reuerende, ut libellum hunc exiguum quidem, sed non profusum abijciendum, ut planè spero, non oculo transuerso inspicias, sed legas, & si, quod placere tibi possit, inueneris aliquid, ab ingenio adolescentis non putido, sed virtutum tuarum admiratore non ignauo profectum esse tibi persuadeas. Hoc tu si feceris, & quod generosum Principem, doctissimumque præsulem deest, facies, & studium simul, atque animum excitabis meum, ut non in hoc pedestri solum, & ligato scriptionis genere posthac, sed etiam soluto, ac liberio illo aliquid elaborare audeat. Quæ res aliquando (si diuinus me adiuuaret fauor) aliquam tibi gloriam, communibusque rebus hominum non nihil adiumenti adferre posset. Diu te nobis incolumè seruet deus, pater domini nostri Iesu Christi, tuasque actiones omnes, ut hætenus factum est, perpetuo posthac etiam gubernet. Vale. Ingolstadij Calend. Aprilis. Anni 1554.

ELEGIARVM  
**IOANNIS AVRPACHII**  
 ALTANI ELEGIARVM LI-  
 ber ad Wolfgangum Comi-  
 tem a' Salmis, præfulem  
 Patauiensem.

Ad Deum, Calend. Ian. Elegia I.



Vi gerit ancipiti caput admirabile uultu,  
 Et uidet illatas in sua terga manus.  
 Ianus adest nobis, anni labentis origo,  
 Tempora monstratã qui docet ire uia.

Summe pater, ueris referas qui clauibus annum,  
 Omnes & sacra diuidis arte uices.  
 Quem non ulla notat monstroso fabula cultu,  
 Quæq; tenent multi carmina uana libri.  
 Ridiculus facie nec fingeris esse bisyrmi,  
 Nec postica times quid tibi fanna struat,  
 Omnia sed fidus radianti lumine custos,  
 Quæ fiunt nostro subtus in orbe, uides:  
 Aspice, quàm foedo Germania nostra tumultu  
 Aestuæ, in cunctis Marte furenti locis.  
 Aspice, quàm diras uocet effera turba cohortes,  
 Atq; truci spargat seditione minas.  
 Qui furor in nostras ita scæuit, ut opprimat, artes,  
 Incultam rursus barbariemq; serat.

Si qua

LIBER.

Si qua grauem nobis meruerunt crimina pœnam,  
 Da ueniam mihi pro pietate, pater.  
 Ne rigidi nostros aut inclementia cœli  
 Horrenda tractus asperitate premat:  
 Aut fera mortales effuso bella cruore,  
 Atq; suæ cupiant accelerare necem.  
 Optima se præbet nobis occasio, sacram  
 Si tamen humanis nixibus addis opem.  
 Annus ab integro renouatur lubricus ortu,  
 Et uelut ille noui temporis ordo redit.  
 Da pater, ut prauos cum uerso tempore mores  
 Mutemus, mensum regrediamur iter,  
 Et quæ distorto commisimus ante furore,  
 Quod solum, puro corde picemus, amas.  
 Solis anhelanti currus retractus ab Austro  
 Hoc properat celeri clima subire rota,  
 In quo nos miseri uitales carpimus auras,  
 Quos tua seruatos gratia sola fouet.  
 Aestiuum mittas redeunte decore calorem,  
 Omnia, quo dempto, putre cadauer erunt.  
 Quo sine natiuum possset retinere uigorem,  
 Atq; sub hac mundi uiuere parte nihil.  
 Longi nascuntur soles, dum gaudet aquarum  
 Fusori socios iungere Phoebus equos.  
 Fac operis inter nostris ut ualla dierum  
 Conueniant cursu liberiore, precor.

A 4

Totã

ELEGIARVM

Tota repentino facies mutata colore  
 Huius sit fato commodiore plagæ.  
 Exundent agri Cereali munere nostri,  
 Spiciferae quando tempora messis erunt.  
 Pampinei multo repleantur nectare colles,  
 Quando breues faciet Pleius orta dies,  
 Quo tamen ad uitam grata cum mente fruemur,  
 Non ut turba solet luxuriosa frui.  
 Mitte salutarem uegetantibus æra uentis,  
 Ne ueniat tetra pestis oborta luc.  
 Ne grauis irrepat nostris regionibus humor,  
 Qui seue spargat semina multa febris,  
 Inducatq; graues, ut aperto cardine, uentos,  
 Quos humana cohors non tolerare queat.  
 Fausto sed felix cursu labatur ut annus,  
 Et concede pijs pondus habere preces,  
 Ut ualido læti possimus corpore grates  
 Dignas è sana promere mente tibi,  
 Et laudare tuum uocali carmine natum,  
 Qui nos è Stygij rettulit ore ducis.  
 Ad Volfgangum Comitem à Salmis,  
 præsulem Pataviensem. Elegia II.

**N**E contemne meos, præsul mitissime, uersus,  
 Ne mihi clementem subtrahes, que so, manum.  
 In te magna spei pendet fiducia nostræ,  
 Vno qui nutu me recreare potes.

Imbellis

LIBER.

Imbellis patrocinium modò sume Thaliæ,  
 Dextra nosq; libens auxiliante iuua.  
 Scilicet ipse noua nil molior arte, quod esse  
 Indignum possit dexteritate tua.  
 Fecerunt alij per carmina sacra poëtæ,  
 Scilicet exemplum res habet ista suum.  
 Fecerunt, & patronos habuère laborum,  
 Quos non auxilij poenituitq; dati.  
 Dignos præsidio qui iudicat esse poëtæ,  
 Quam laudem recto iure meretur habet.  
 Illius celebrant uicturo carmine famam,  
 Ut clarum teneat non moritura decus.  
 Ergo tibi nostros iterum commendo labores,  
 Quod potes, abiecta nosq; tuere mora.  
 Accepto si latus opem nunc munere gratam  
 Sensero, non uili nomine gratus ero.  
 Egregias dicam festiuo carmine laudes,  
 Inq; tuo noster uersus honore fluet.  
 Quatuor exacti iam lustra peregimus æui,  
 In media quinti currimus atq; uia.  
 Ut par est, iuuenis iuuenilia carmina pango,  
 Vir factus scribam carmina digna uiro.  
 Ad Vitum Amerpachium præce-  
 ptorem. Elegia III.

**I**ngentes laudantur opes, laudantur acerui,  
 Aurea quos cumulat diuitis ora Tagi,

A 5

Et

ELEGIARVM

Et niger euersa quod colligit Indus arena,  
 Quo sterilis multum funditur alga loco.  
 Quod Lydus curuo Pactoli littore querit  
 Hic, ubi Smyrneos aurifer ambit agros,  
 Et quæ mendacis precioso munera sumptu  
 Vox uulgi rauco prædicat ampla sono.  
 Sola ferè nullo censetur nomine uirtus,  
 Paruus & ingenijs acribus extat honor,  
 Quiq; iuuant pulchris conatibus, atq; labore  
 Ingenuo studij commoda Palladij,  
 Quiq; suis cultas illustant artibus artes,  
 Et faciunt magnæ sedulitatis opus,  
 Eximie nitido priuantur laudis honore,  
 Aut modico saltem pondere nomen habent.  
 Atq; sui uirtus si non pulcherrima merces  
 Eset in excelso constituenda loco,  
 Nulla sui ferrent, aut tantum pauca laboris  
 Præmia, quem possunt soluere nulla tamen,  
 Vltima collectas si mitteret Africa gazas,  
 Quicquid & à terra diuite truncat Arabs.  
 Humanas caligo tenet tam barbara mentes,  
 Tam sumus excusso lumine cæca cohors.  
 At nos hinc aliqua fortassis parte mouemur,  
 Qui colimus Clarij numina sacra chori.  
 Pectora qui uasto sub corde Cyclopica gestant,  
 Ingrati lenibus sint licet usq; notis:

Nos

LIBER

Nos humili laudem cantabimus arte perennem,  
 Fulgida qua nomen uenit in astra tuum.  
 Qua uolitas toti iam dudum cognitus orbi,  
 Vite, per ingenij maxima dona tui  
 Hunc etenim spectat tua solum industria finem,  
 Multos ut docta strenuitate iuues.  
 Scilicet hinc oritur magnorum cura laborum,  
 Qui tua continuo tempore terga premit,  
 Publica dum nec fessus obis, & munia tractas,  
 Quam debent magna dexteritate geri.  
 Adde, domi quæ sollicita meditaris ad unguem  
 Mente, subornatos colligis inq; libros,  
 Qui post emissi magna cum fruge leguntur,  
 Quam trahitur lato noster in orbe polus.  
 Ne dicam, tua priuato quod cura labore  
 Multos assiduè iuuat, adhucq; iuuat.  
 Quos inter nostrum nomen censebitur omni  
 Tempore, pars meriti magna futura tui.  
 Tu modo quod uotis exopto grandibus unum,  
 Res, ut coepisti, perge iuuare meas.  
 Tempus oberatum tibi me non esse negabit  
 Vllum, quod præsens adferet hora, uale.  
 De laudibus Diuæ Catharinæ  
 virginis. Elegia IIII.  
**L** Assatos hodie fatali quando labore  
 Phæbus equos undas merget in Oceanas,

Et

ELEGIARVM

Et uiridi lotum referens ex æquore currum  
 Eōas iterum manē relinquet aquas,  
 Festa celebrandæ uenient solennia Nymphæ,  
 Quæ Catharina suo nomine dicta fuit.  
 Mi deus, ætherno qui numine cuncta gubernas,  
 Quæ claudunt pelagi uiscera, terra, polus,  
 Da, precor, ut surgens uxor Tithonia clarum  
 Producat nuptio pulchra colore diam.  
 Totum qui lætè collustret lumine mundum,  
 Præbeat & radijs gaudia uera suis,  
 Virginis ut sanctæ festos celebremus honores,  
 Aethereæ faucat mobilis aura plage,  
 Virginis ut grato ueneremur nomina cultu,  
 Conueniat tempus, conueniatq; locus.  
 Omnia sint nostri conatibus æqua laboris,  
 Vita si meruit uirgo pudica sua.  
 Virgo licet proauis eitannum regibus orta,  
 Splendoris quicquid regia, spreuit, habet.  
 Attalicas contempsit opes, & stemmata claris  
 Aethernis uoluit posthabuisse bonis.  
 Nominis & festu nunquam tumefacta superbo  
 Sanguinis authores enumerauit auos,  
 Et quibus eximium tribuit leue uulgus honorem,  
 Ac in supremo ponit habenda loco.  
 Illa hæc postposuit diuinis omnia iustis,  
 Semper præceptis incubuitq; dei.

Atqui

LIBER.

Atqui Niliacas postquam uenisset in oras,  
 Pulsus qui propria sede tyrannus erat,  
 Impius, & ueræ fidei temerator ibidem  
 Idæo uoluit sacrificare Ioui,  
 Molliq; indixit gentilibus Orgia festis,  
 Imposuitq; aris thura prophana suis,  
 Ut falso ueros abderet pectore cultus,  
 Quiq; deo pura mente probatur honos,  
 Peruersoq; malos induceret ordine ritus,  
 Ac hominum regeret numine corda suo.  
 Ad quod crudeli multos feritate coëgit,  
 Qui bene firmatam non habuere fidem.  
 Quiq; suas nondum diuino dogmate mentes  
 Imbuerant fragili maxima turba fide  
 Sola repugnauit crudo Catharina tyranno,  
 Seruitij spreuit sola puella iugum.  
 Quam non atra famas, & uasto carcer hiatu  
 A ueri niuico flexit amore dei  
 Poenarum species trucium non mille, tyrannus  
 Non quas fulmineo sparsit ab ore minas.  
 Non oratores uario sermone disertis,  
 Omnibus ex mundi turba profecta locis.  
 Non Tartesiaca Calpe quos misit ab ora,  
 Hinc, ubi non lato sunt freta parua sinu.  
 Non qui uenerunt Eōo litore cincti,  
 Phasis ubi magno iungitur amne mari.

Non

## ELEGIARVM

Non ab Hyperboreis qui ducunt montibus ortunt,  
 Quam Boreas rauco turbine perflat humum.  
 Quiq; reliquerunt Australis frigora ponti,  
 Ut paribus certent uiribus ingenij.  
 Ut frangant animum facundo uirginis ore,  
 Qui stat ut ex Pario marmore structa domus,  
 Aut ut candenti rutilans ex ære colossus,  
 Ignea qui grandi sidera mole ferit,  
 Contemnitq; feros rapido certamine uentos,  
 Iuppiter ex antro quos trahit Aeolio.  
 Sic etiam regem turpauit, & ora uirorum,  
 Sic etiam duro restitit imperio.  
 Maxima sic spreuit promissi munera regni,  
 Turpia quæ pactus seue tyrannè dabas.  
 Coelestis meditans uerissima gaudia regni,  
 Quæ sunt terrenis anteferenda bonis.  
 Quanta fides, quantusq; animus, constantia quanta,  
 Fœmineo quantum pectore robur inest?  
 Bis numero uicit uiginti, gloria quorum  
 In toto linguæ floruit orbe decus.  
 Vicit, & in ueram (res admiranda profectò)  
 Diuina traxit calliditate uiam.  
 Te quoq; flexisset, nisi robore durior esses  
 Marmoreo, stimulis rex agitate tuis.  
 Horribili si non superasses mente tyrannum,  
 Qui calido miseros ussit in ære uiros.

Quiq;

## LIBER.

Quiq; peregrinos homines mactauit ad aras  
 Hospitij temerans iura, fidemq; sui.  
 Iam quid oportunus peccandi dicere causas,  
 Quis etiam quæuis obtulit hora, potest?  
 Diuitias inter regales edita uidit  
 Aule quicquid habet luxuriosa cohors.  
 Atria quicquid habent tumidi regalia fastus,  
 Quæq; tenet primum fraus scelerata locum.  
 Præterea potuit celebris pulcherrima formæ  
 Omnibus excellens enumerare decus.  
 Quicquid ad ornati spectabat corporis omnem  
 Famam, laudari qua solet iste chorus,  
 Omnes uincebat longè formosior ipsa,  
 Quæ fuit à Phrygio fœmina rapta uiro.  
 Hinc multos habuisse procos, illosq; potentes,  
 Ut regis natam, nemo negare potest.  
 Nemo negare potest cupidos uenisse subinde,  
 Virgineum iuuenes & petijisse torum,  
 Qui sua frustrati non obuia uota tulerunt,  
 Ad patrias mœsti sed rediére domos.  
 Elegit siquidem ueri connubia sponsi,  
 Quæ rata perpetuo foedere semper erunt.  
 Quid? disciplinis imbuta quod omnibus esset,  
 Quotquot ab intacta Pallade nomen habent?  
 Hæc res materiam peccatis sepe ministrat,  
 Hinc ad nequitiam lata fenestra patet.

Verùm



ELEGIARVM

Verum quod præbet uitijis alimenta malignis,  
 Huic fuit ad rectam calcar, & aura uiam:  
 Quam recto si nos imitemur tramite, nostri  
 Accipiet studij præmia uera labor,  
 Præmia quæ tribuet nobis ætherna potestas,  
 Fulmina qui supera mittit ab arce, patris.  
 Adsis huc igitur studiosæ turba cateruæ,  
 Et laudes tacita percipe mente, precor,  
 Quis feret egregius iuuenis, doctusq; magister,  
 Et mihi fraterno iunctus amore Macer.

Ad Ioannem Clauum præceptorem  
 suum. Elegia V.

**S**ulphureo quod non rediisti nuper ab Oeno  
 Ad me promisso tempore, Clauæ, domum,  
 Scilicet undosa proficiscens mœstus ab ora  
 Cum patriæ liqui dulcia rura mœæ.  
 Hæc metuo, ne dura tuos incommoda cursus  
 In fastidito sint remorata loco:  
 Aut ratis immani tua sit iactata procella,  
 Quam citus in sano turbine uentus agit.  
 Verum quicquid erat (nec enim sine diuite causa  
 Arbitror oblata te uiolasse fidem.)  
 Opto sit ut felix, & dextro sidere natum,  
 Adsint & rebus prospera fata tuis,  
 Quæq; tuus candor meruit, uirtusq; fidesq;  
 Accipias læta præmia grata manu.

Non

LIBER.

Non semper probitas algebit laudibus expers,  
 Tempus, quo clarum nomen habebis, erit.  
 Detecti fient aliorum tempore fuci,  
 Qui te suppressum protinus esse uolunt.  
 Crede mihi, nullo firmati robore sistunt,  
 Et cito, quas fraudes composuere, ruent.  
 Quæ domus ex imo non est bene condita fundo,  
 Mox ea mole grauis deficiente cadit.  
 Hoc ita non longo durabit tempore regnum,  
 Quod stabilire leuis fumus, & aura solet.  
 Conspicuus fies laudata per ora uirorum,  
 Cum sua fraus illis causa pudoris erit.  
 Te pia, quam cultas docuisti sedulus artes,  
 In memori semper pectore turba geret.  
 Illis nullus honos præstabitur, inter amicos  
 Nil referent, præter putida corda, suos  
 Ipsa, quod à nobis merito deponere posses,  
 Qui te defendet, de grege primus ero.  
 Illorum fraudes manifesto carmine reddam,  
 Ut notæ possint omnibus esse bonis.

Ad Macrum. Elegia VI:

**F**ertilis ut modica tellus recreatur ab unda,  
 Si sit abundanti sparsa liquore, perit,  
 Noxius humano sic est in corpore sanguis,  
 Obruta qui nimio membra calore premit.

B

Ergo

## ELEGIARVM

Ergo per uenæ laxos effusa canales  
 Immundi puris flumina robur alunt  
 Purridus inflatis quicq; innatat artibus humor.  
 Missus ab impuro Phlegmate membra leuat.  
 Pæoniæ monstrant præcepta salubria chartæ  
 Vt magna nobis utilitate, Macer.  
 Hoc igitur quoddam tu laudabile dogma secutus  
 Incisæ pateris uulnera facta cuti,  
 Consulis ingenio, quod uires corporis augent,  
 Hoc sine præcipua nec ratione facis.  
 Nam quæ stat calida uiuax in mente facultas,  
 Robore neruorum deficiente, perit.  
 Ergo consilium fortunet Iuppiter istud,  
 Adsit inexhausta prosperitate deus.  
 Inualidæ uires renouato sanguine crescant,  
 Sumat ab hoc animi uis generosa decus.  
 Squalida sæcundo recreentur membra uigore,  
 Languidus à pigro corpore torpor eat.  
 Febris nulla caput uertigine lassat anhela,  
 Sit semper capti coctio iusta cibi.  
 Nec fastiditæ salaria fercula mensæ  
 Reijciat stomacho nauisæ facta tuo  
 Hæc tibi pro nostri consensu fœderis opto,  
 Si quid est optari maius in orbe potest  
 Si deus hoc tribuet, pura quod mente precamur,  
 Euenient rebus commoda larga tuis.

Interea

## LIBER:

Interea uili quæ condita mittimus obba,  
 Sume quiescenti mucida uina manu.  
 Si mea Lenæos producet uinea succos,  
 Pocula Setino nectare plena bibes.  
 Nec solus tamen ista bibes mea Cæcuba, quando  
 Tertia Phœbæas aduehet hora notas,  
 Et meus ille labor fuerit finitus, in ædes,  
 Ne mora sit damno longa, uolabo tuas.  
 Ad Sebastianum Reifacherum,  
 Elegia VII.

**A** Equoreas cum fessus heri properaret in undas,  
 Reifachere, citos mergere Phœbus equos,  
 Quam positæ caperem frugalia fercula mensæ,  
 Ante per apricos expaciabar agros.  
 Imbriferis radijs obduerat æthera summum  
 Ex aliqua nubes fumida parte suis,  
 Pulchris ex aliqua fulgebat parte capillis,  
 Qui clarum nitido lumen in orbe uehit.  
 Cumq; uagi placidum uenisset flumen ad Istri,  
 Pingua quæ letis fluctibus arua rigat,  
 Ardua conspexi caput inter nubila Nymphant  
 Ornatum uarijs tollere delicijs.  
 Grandis erat, sublimis erat, nisi fallimur ipsi,  
 Filia cœlesti femine nata fuit.  
 Vultum sub liquidis oblecta fronte gerebat  
 Nubibus, infernos despiciebat agros.

B a

Flauabant

ELEGIARVM

Flauebant crines, uiridi circumdata palla  
 Lucebat grata disparitate genas.  
 Vestis erat multis uariata coloribus ipsi,  
 Puniccis stabant firmata sparsa notis.  
 Incuruatus erat reflexo corpore uenter,  
 Hesperias una parte uidebat aquas.  
 Aemonias reliqua uultum torquebat in undas,  
 Africus in Pontum quas uiolentus agit.  
 Mirabar, uultuq; uiam signante tuebar,  
 Donec in aërias fugit aperta plagas.  
 Nam sol cum largo disposuit lumine nubes,  
 Non uoluit nudo stare pudica sinu.  
 Arbitror hanc Phœbi generoso sanguine Cretam.  
 Hinc generis clarum ducere stemma sui,  
 Scilicet aduersa quando cum nube locatus  
 In sese rapidis ipse recurrit equis.  
 Atqui tam celebris Nymphæ si nomina dices,  
 Quæ natale ferat nobilitate genus.  
 Inter Apollineos nobis numerabere uates,  
 Inq; tuo uerum pectore numen erit.

Ad Ioannem Georgium Romungium, Elegia VIII.

**M**iror, quæ nostram uexet petulantia Musam,  
 Amplius ut nolit frena subacta pati,  
 Atq; neget tollo teretes gestare catenas,  
 Audaciq; ruat libera facta pede.

Vix

LIBER:

Vix te, Romungi, nuper cognouerat uno  
 Aspectu clari nominis esse decus,  
 Indignata iugum remouet, te protinus atq;  
 Festinabundo gestit adire gradus.  
 Quid facerem? qua sedarem ratione furorem?  
 Impetus ipse modum qui superabat, erat.  
 Indomitus feruor suadebat, & ipsa uoluntas  
 Hic etiam, quod non debuit esse, fuit.  
 Difficilis res est primos compescere motus,  
 Ardentiq; animo ponere posse modum.  
 Ponere posse modum tantis affectibus, huius,  
 Crede mihi, non est debilitatis opus.  
 Ingenuæ mentis tamen hæc affectio, culpæ  
 Non magnæ ueniam quæ mercatur, erit.  
 Hoc ego non aliter nitor, quàm firma colossi  
 Stare basis Phrygio marmore sulca solet,  
 Dum uideo, quanquàm dicar peccare proteruis,  
 Ingenium turpi labe careere meum.  
 Nostrum nemo potest merito reprehendere factum,  
 Qui tali uacuum crimine pectus habet.  
 Sed nimium cautis incedit passibus, ipsam  
 Nec properat metam tangere noster equus.  
 Accipe, quæ constat nostræ sententia menti,  
 Hæc animo penitus uerbaq; conde tuo:  
 Simplicitas integritas animi doctrinaq; iusto  
 Ordine quæ Clarijs annumerare uiris,

B 3 Non

## ELEGIARVM

Non uoluit nostræ stridentia plectra *Camæne*

Amplius ignauo pressa iacere situ.

Ergo si temerè fecissouidebitur, isto

Excusata modo sit mea musa tibi.

Ad Ioannem Gesuenterum.

Elegia IX.

**M**isit abortiuo tibi nostra *Camæna* furore  
Carmina sub celeri uix bene nata manu.

Fausta quibus castis optauimus omina tcedis,

Vtq; adsint uoto numina sancta tuo.

Illæ, nisi fallor, uiciofa mole laborant,

Et non ex omni crimine parte carent.

Præbuit hæc ansam dubitandi causa, quod illæ

Non ita maturo scripta calore dedi,

Ne tamen indignas innoxia carmina pœnas

Ignota culpæ conditione luant,

Iudicio me posse nihil decernere pleno

Scito, sed ambigua suspitione trahi.

Ergo siue cadant causa, seu crimine purget,

Qui stat in crecto corpore uerus honor,

Non me sollicitis res ista timoribus anget,

Sarciri facîle parua ruina potest.

Te rogo, si quid erit turpis, quod nescio, mendæ,

Erue, uel totum supprime, Gsuentem, opus.

Plurima fecundi sic pignora reddat amoris,

Quæ thalamos intrat sponsa pudica tuos.

## LIBER.

De recepta studiorum libertate;

Elegia X.

**E**ffera cessauit crudi uolentia Martis,

Ad studiū partes quisq; redite sui.

Impia discessit bacchantis turba cateruæ,

Quam trepidæ nunquàm non timuere Deæ.

Bellica iam puidas non terrent amplius aures

Fulmina, non implent arma cruenta forum.

Non hastas tectis defixas esse uidemus,

Non rigidus nudo territat ense Cyclops.

Non gladios fugimus lacera sub cortice, forsân

Ne lædat nostros pars malè tecta pedes.

Aerea non edunt feralem tympana bombum,

Nec tuba clamosa bellica uoce sonat.

Clausæ nec armatas recipit iam porta phalanges,

Liberior nobis campus, & arua patent.

Molliter in tenui decumbere possumus herba,

Et lepidos hilara fingere mente iocos,

Dulces ac solita pro consuetudine fontes,

Et latos culti uisere ruris agros,

Pomaq; maturis pendentia carpere ramis,

Splendidus & uarias quas habet hortus opes.

Horrendos non insultus audimus, & illas,

Quas tumido miles fudit ab ore, minas,

Hæc dum Gorgoneis micuerunt moenia signis,

Et fuit insanis urbs onerata uiris.

## ELEGIARVM

Mollia discussis redierunt ocia curis,  
 Ac lenis, cuncti quam petiere, quies.  
 Nunc iuuet Aonijs iterum seruire puellis,  
 Nec leuibus grandes perdere rebus opes.  
 Nunc iuuet ingenuos manibus tractare libellos,  
 Dulceq; suscepti ferre laboris onus.  
 Temporis inuitat, rerumq; occasio praesens,  
 Tranquillumq; deus quem dedit esse, status.  
 Ad Ioannem Iacobum Fuggerum:  
 Elegia XI.

**Q**uicquid in immenso terrarum continet orbe,  
 Celsa uagabundus qui uehit astra, polus,  
 Insignem generis uirtutem praedicat alti,  
 Stemmata quo tollunt uestra celebre caput,  
 Quo, ueluti lucis praenuncia stella, refulget  
 Vestra domus, nullo commaculata modo.  
 Aequat & illustri magnos herodes honore,  
 Quos fouet in lato Teutona terra sinu.  
 Siue aliquis repetat, quo se prudentia cultu  
 Tollit in aetherea sidera magna plagae.  
 Scilicet, quo magnanimo gestantes pectora corde  
 Vincimus hostilis praelia dura manus.  
 Siue, uerecundo quae pulchra modestia ritu  
 Omnia legitimo temperat acta modo.  
 Quaeq; suum aequali concedit iure cuiq;  
 Virtus, & multum laudis habere solet.

Hinc

## LIBER:

Hinc ea, ceu filo, ratio, producta tenaci,  
 Venit & ad uestrum semper adaucta genus,  
 Summa quod attingit celebris fastigia famae,  
 Et nostro magnum tempore nomen habet.  
 Vester honos ipsis praefulget lumine stellis,  
 Absit ab hoc dicto fucus & inuidia.  
 Absit adulatrica appicta lingua colore,  
 Absit compositus fraude latente dolus.  
 Integra mens uerbum sincero pectore promit,  
 Omne quod ore sonans bucca patente refert.  
 Quo dicam uultu sacras gestire Camenas?  
 Quicq; sub Aonijs collibus antra tenent?  
 Scilicet in terris ubi mente uagantur aperta,  
 Nominis & uestri splendida fama subit.  
 Vnanimi tum uoce canunt modulamina uobis,  
 Gutturaq; effundunt carmina multa suo.  
 Atq; suos uestro studio solantur alumnos,  
 Quos fortuna suis non uehit ampla rotis.  
 Non audita loquor, procul hinc mendacia sunt,  
 Haec mihi sunt certa cognita uera fide.  
 Nuper enim tristis mea mens cum uolueret, esset  
 Qua Nemesis dura perfida sorte mihi,  
 Et uarias maeſto uersabat pectore curas,  
 Quas parit incerta lubrica diua rota:  
 Quas parit, afflicto qui saeuit in orbe, tumultus,  
 Quaeq; serit, frendens aspera bella furor.

B S Aspice,

## ELEGIARVM

*Aspice, Parnasso, me Cynthia ipse, relicto,*  
*Conuenit, & prona talia uoce refert.*  
*Desine nequicquam tristes iactare querelas,*  
*Fata ferro rebus nunc meliora tuis.*  
*Vrbs iacet in cultis Rhetorum condita pratis,*  
*Quæ gerit Augusti nomen adepta ducis,*  
*Quæ Lycus alpino de monte profectus amœnos*  
*Sucutorum uitreo flumine lambit agros:*  
*Hanc adeas celeri, ne sit mora noxia, cursu,*  
*Hæc tibi causa nouæ prosperitatis erit.*  
*Incolit hanc soboles præclaro sanguine Creta,*  
*Fuggeri prisco nomine dicta patris.*  
*Hæc tibi progenies non ulla celebrior extat,*  
*Quam longo uestrum funditur orbe solum.*  
*Diuitijs pollet regali more profundis,*  
*Nec plures habuit Cræsus, auarus opes.*  
*Quas tamen in ueros præclare collocat usus,*  
*Diuinis promptam cultibus addit opem.*  
*Ingenuas, iuuenes, ut discant molliter artes,*  
*Munifica multos nutrit & ipsa manu.*  
*Hæc ex progenie surrexit splendidus heros,*  
*Cui data sunt ritu nomina bina nouo.*  
*Adiuuat Ausbriacos cuius sapientia fratres.*  
*Quorum uirtutem Teutona regna tremunt,*  
*Scilicet imperij quando de rebus habentur*  
*Lites ingenti non sine mole graues.*

Huic

## LIBER!

*Huic tua curuato famuletur poplite cura,*  
*Huic humiles offer supplice uoce preces,*  
*Nec tibi sit dubium, quin sis laturus ab isto*  
*Leniter ex uoto munera grata tuo.*  
*Inter enim cunctos, qui Meccenatis honorem,*  
*Eximiumq; isto tempore nomen habent,*  
*Ipse, uelut radij nostra de luce corusci,*  
*Extulit egregia strenuitate caput,*  
*Dum gerit illorum curam, doctissimus ipse,*  
*Qui mea sub tenera casside signa ferunt.*  
*Hæc ubi Latoïdes dixisset uerba, repente*  
*In uacuum pennis aëra letus abit.*  
*Ergo Meccenas multi, Assime donis,*  
*Nominis excultum per decus oro tui,*  
*Redde mihi uultu non aspera uerba sereno,*  
*Et commendatum me tibi letus habe.*  
*Fortè dabunt nostræ uenientia tempora Musæ*  
*Maiorem solida cum grauitate chelym:*  
*Tunc meliore canam gratus tua facta cothurno,*  
*Sidereas quibus es notus ad usq; domos.*  
*In Ioannis Gesuenterii nuptias.*  
 Elegia XII.  
**N**uper in undoso spaciabar littore solus,  
 Versat ubi celeres limpidus Ister aquas,  
 Exutusq; graui curarum pondere, letos  
 Acturus per agros oçia ruris eram.

Abdita

## ELEGIARVM

Abdita mentis erant laxato frena capistro,  
 Per campos ibam liberiore pede.  
 Ceruleum vitreus depinxerat æthera splendor,  
 Non erat in toto nubis imago polo.  
 Iucundo uolucres implebant aëra cantu,  
 Nec rapido stabat mobilis aura Notho  
 Terra pruinoso non obsita rore maderat,  
 Pulchra sed, ut lepidi tempore ueris, erat.  
 Pinguia Nectareos spargebant pascua flores,  
 Gramine fecundo luxuriabat humus,  
 Saltabant pecorumq; greges petulanter in aruis,  
 Præbebat dulcem fertilis herba cibum.  
 Ocyus accessi, uirides quæ Boius inter  
 Danubius magno flumine serpsit agros,  
 Visurus quiddam si religionis haberent  
 Illines Istri prætereuntis aquæ,  
 Plenius exacta rimarer ut omnia cura,  
 Qui scopus, & nostri cura laboris erat.  
 Nam tacita mecum dicebam talia mente:  
 Ista dies, si nil decipit, omen habet.  
 Non ita purpureo nitidus sol splenduit ortu,  
 Ordine si repetam tempora longa suo.  
 Non ita pendentes micuerunt arbore frondes,  
 Tali cantauit nec Philomela sono.  
 Vix accessissem gelidas ad fluminis undas,  
 In pura uidi protinus omen aqua.

Labatur

## LIBER.

Labatur tardo, uelut esset subditus amne,  
 Ad patrios i ster iam rediturus agros.  
 Non stauescibat limoso sulphure gutta,  
 Sed uitrei tanquam lucida fontis erat.  
 Non igitur cesso ueloci pergere cursu,  
 Donec me captum gaudia rara tenent.  
 Cum paucis etenim progressus passibus essem,  
 Qualia sunt oculis uisa relata meis.  
 Ingredior pulchri uiridantia gramina prati,  
 Elysios etiam quod superaret agros.  
 Omnia fragrantabant roseo spiramine florum,  
 Pestantiq; locus plenus odoris erat.  
 Illic purpureo Narcissus flore uirebat,  
 Hic casta albenti sparsa iacebat humo.  
 Suauiter hoc folijs redolebat Calta minutis,  
 Illo crescebat mollis Acanthe loco.  
 Illic flos durans Hiacyntus suauis rubebat,  
 Hic stabant Paphijs omnia plena rosis:  
 Assyrium hic etiam non deficiebat Amomum;  
 Fumabat rubeo consita terra Croco.  
 Inmixtum uiolis astabat Bacchar, & altis  
 Cum lilij aderant Phrygmata culta, thymus.  
 Omnia uernanti uariata colore iuuabant,  
 Spirabatq; graui cultus odore nitor.  
 Non tam præstantes habuit rex maximus hortos,  
 Cuius in hac omnis gloria laude fuit.

Define

ELEGIARVM

Define mirari, Libycis in finibus arbor  
 Olim quod ramis aurea mala tulit.  
 Maturas inter pendebant ordine uites  
 Hic etiam precij talia poma sui.  
 Stabat & hic laurus ramis non forte secandis,  
 Myrtus & in sacris usibus apta coli.  
 Has ego dum penitus uigilanti lumine spectro,  
 In se plena nouis omina rebus habent.  
 Has etenim tacito uolebam pectore uoces:  
 Hæ tua sacra mihi numina Phoebe notant.  
 Suspicio Aunides ac non procul esse puellas,  
 Arbor enim uobis utraq; sacra uiret.  
 Ergo quod tandem spacio maiore uidemus,  
 Hoc studium nobis cernere maius erat.  
 Non aliter, quam si coelesti nectare potus  
 Essem, sic leto pectore penè rui.  
 Nunc teneo partes animum defixus in istas,  
 Nunc aliud nitida simplicitate placet.  
 Sic picturata sub imagine multa nitescunt,  
 Sic pulchri letor captus amore loci.  
 Non ego sum, campi qui prata benigna negare  
 Elysij uana garrulitate uelit.  
 Sed tamen hoc uenia liceat mihi dicere uatum:  
 Vidimus in nostro splendidiora loco.  
 Elysios parui splendorès æstimo, nostræ  
 Maxima si reputo gaudia læticiæ.

Si reputo,

LIBER.

Si reputo, quali fuerint ornata lepore,  
 Luminibus quæ sunt obuia facta meis.  
 Marmoreum bis pectus habet, bis durior omni  
 Saxo nil rectæ mentis habere potest,  
 Talia quem nulla delectent gaudia parte,  
 Sensus quæ nuper sunt remorata meos.  
 Hæc ita dum fiunt, ac toto pectore captus  
 Erro per aprici germina culta soli,  
 Quæ sit adhuc nobis ibi percipienda uoluptas,  
 Protinus hoc scio certior ipse modo.  
 Audio compositos dulci modulamine cantus,  
 Quale sonat gracili uoce puella melos.  
 Qualia Parnasso cantant in monte sorores,  
 Qualia coelestes, angelicisq; chori.  
 Continuo motus concinna per organa uocum,  
 Harmonico propius molior esse gregi.  
 Plurima namq; mihi portendere signa solebant  
 Id non humani gutturis esse melos.  
 Agnatum supero quiddam resonabat Olympo,  
 Nota mihi sacræ carmina uocis erant.  
 Cum propiora statim cauto uestigia gressus  
 Firmassem, facile res ea tota patet.  
 Castalidum Phoebo duce (res miranda) sororum  
 Ad numeros saltat læta caterua suos.  
 Omnia fr̄struis ridebant plena cachymnis,  
 Ludibat castis pulchra choræa iocis.

Mollia



## ELEGIARVM

Mollia fatidica reboabant carmina syluæ,  
 Ipsa repercussis nubibus dura tonat.  
 Ipse puellares ducebat Apollo Choreas,  
 Formosa solers arte mouere pedes.  
 Ornatum regis, fulgentia sceptrâ gestabat,  
 Incessus magni Cæsaris instar erat.  
 Serpebat uiridis circum sacra tempora laurus,  
 Ornabant nudum myrtea ferta caput.  
 Hicut erat cætus ductor totius & author,  
 Talia sublata carmina uoce canit.  
 O Helyconiades, consortia numina, diuæ,  
 Ludite, conueniens lusibus hora uenit.  
 Promite festiuosq; sales, risumq; uenustum,  
 Lætitiæ quicquid, quicquid ubiq; ioci est.  
 Gsuentem Pæonia iuuenis præclarus in arte  
 Legitimi celebrat gaudia plena tori.  
 Qui nostris nunquam discessit alumnus ab aris,  
 Palladiæ laudis molle secutus iter.  
 Suauia nunc hilari depromite carmina uoce,  
 Ad numeros agiles atq; mouete pedes.  
 Auspicio fausto lætemur tota uirente  
 Huc ex Parnasi colle profecta cohors.  
 Ultra Sauromatas, gelidos mittamus & Indos,  
 Quicquid præduro pondere triste sapit.  
 Plaudite dilecto manibus, pedibusq; poetæ,  
 Sit procul à nostro cura, dolorq; choro.

Dixerat:

## LIBER.

Dixerat: in celeres ruit omnis turba choræas,  
 Edebat faciles terra repulsa sonos.  
 Omnia foemineo plausu turbata strepebant,  
 Omnia cum læta uoce cachymnus erant.  
 Hic, quas illecebras spiraret formina, uidi,  
 Sunt etiam sacre foemina casta deæ.  
 Quot Nymphæ, tot erant cantu modulante susurri,  
 Totius cecinit quæq; puella chori.  
 Omnia sed memori quis posset condere mentes?  
 Non est hoc nostræ debilitatis opus.  
 Tandem tota cohors, ductore iubente, quiescit,  
 Illo meq; uidet Phœbus adesse loco.  
 Accurrit, nostris quid, ait, sermonibus adstas,  
 Mænalio iuuenis non malè grate choro?  
 Opportunus ades, mandatum sume laborem,  
 Nostraq; non duro carmine facta refer.  
 Quas hic ad gelidum uoces effudimus ammeni  
 Non sine deformi quæso perire situ,  
 Quæq; sumus propria testati gaudia uoce,  
 Hæc etiam numeris indue scripta tuis.  
 Pierium docta præbebimus arte calorem,  
 Tangemusq; tuæ pollice plectra lyre.  
 Sic ait: ast illum cum tota linquo sororum  
 Turba, quodq; mihi iusserat, illud ago.  
 Prodiit hinc talis deformi corpore partus,  
 Quem tibi quod uolui mittere, fecit amor,

G

Quo

## ELEGIARVM

Quo non diuersi studij communia nobis  
 Iamdudum propter munera charus eras.  
 Nec tamen addubito, quin excepturus amico  
 Pectore sis nostræ carmina rauca chelys.  
 Sic tibi fortunet nodi Gsuentere iugalis  
 Vincula, qui rutila summuuain arce sedet.

Ad Macrum. Elegia XIII.

**S**plendida sacratæ tua commendatio uallis  
 Ex omni meritò parte probata placet,  
 Siue quòd à lauto gratissima uenit amico,  
 Cuius habent certam carmina missa fidem,  
 Siue quòd iste locus non est ingrata puellis  
 Aōny's sedes, magnæq; Phœbe tibi.  
 Ergo quàm uellem nos illo tempore tecum  
 In tam iucunda ualle fuisse, Macer,  
 Castalias Musæ quo te mersere sub undas,  
 Et quoserta tuis imposuere comis.  
 Me quoq; inuissent castarum dona dearum,  
 Dixissem: nostrum mergite corpus aquis.  
 Me delectasset Luuro tibi facta corona,  
 Dixissem: capiti ponite sertæ meo.  
 Reddite me uatem, uos obsecro, ludite mecum,  
 Vos mea cura Deæ, uos meus estis amor.  
 Sat scio, dignatæ modica me laude fuissent,  
 Illas nam colui semper honore suo.

Nostræq;

## LIBER.

Nostræq; Pegaseis lauissent corpora lymphis,  
 Portaretq; mecum laurea sertæ caput.  
 Spinosis nostri cum stent ita sentibus horti,  
 Et sit inornato semine sparsus ager.

Ad Lucam Neideccerum:

Elegia XIII.

**Q**ui precij nuper uilis diadema tulisti,  
 Cum fatuus, lecto præfule, noster eras,  
 Luce coronati meruisti regis honores,  
 Supremumq; nouo sumere more gradum.  
 Quid non uana potest leuibus fortuna quadrigis  
 Et fors non pigra corripienda manus  
 Tollit neglectos, & in ima classe relatos  
 Sæpius ad summos euehit ista locos,  
 Protinus & curat sublimes reddere primum  
 Raptos ex humili conditione uiros,  
 A quibus aduerso non gestat pectore uultus,  
 In gremio dulci sed fouet, atq; sinu.  
 Nam quos infenso mutabilis odit amictu,  
 Ad famuli uiles deprimit usq; pedes,  
 Temonisq; arcta contempti uersat in ora,  
 Axe ubi discurrit posteriore rota.  
 Nec sinit ex tenui miseros emergere uita,  
 Atq; statu paulò liberiore frui.  
 Quis non ergo uidet quàm non fortuna repugnet,  
 Ut plerisq; solet tristis adesse, tibi?

## ELEGIARVM

In solij, reliquis inuitis, parte locauit.  
 Diuitis & regni scepra regenda dedit.  
 Te modò ne stolido uentosa superbia fastu  
 Elatum tanto priuet honore, uide.  
 Mens hominum nimia fortuna sæpe labascit,  
 Successusq; potest non benè ferre suos.  
 Regnum tranquilla poteris in pace tenere,  
 Horrida si nullo bella furore petes.  
 Contentusq; tuis opibus sine crimine uiues,  
 Nec pro clementi rege tyrannus eris.  
 Quod tibi concedat cælestis numen Olympi,  
 Hoc rogat imperij subdita turba tui.

Ad Ioannem Vulteiū:  
 Elegia XV.

**S**ic nostros linquis Vultei doctæ penates,  
 Meq; tuæ comitem non sinis esse uiæ?  
 Accedis culti formosa theatra Lycæi,  
 Nec studij socium me sinis esse tui?  
 Palladias inter Nymphas tu gaudia semper  
 Percipies nullis anteferenda bonis,  
 Ipse sed in rudium puerorum uerba cohorte  
 Fundam contracto frigidiora gelu.  
 O mihi concessum per mitia fata fuisset,  
 Ut cursus essem pars quotacunq; tui,  
 Et loca Gymnasij sequerer cultissima tecum,  
 Ingenio quod erit digna palaestra tuo.

Nulla

## LIBER:

Nulla meis posset uox gratior auribus esse,  
 Hæc essent animo gaudia plena meo.  
 Ergo uade bonis auibus, feliciter isthic  
 Urbis & optatæ moenia pulchra subi,  
 Si prius attigerit fausto conamine metam,  
 Ad quam iam dudum noster anhelat equus,  
 Ante suum Phœbus quàm currum sæpe reuoluat,  
 Tu quod es ingressus, nos faciemus iter.

Ad Nufferum. Elegia XVI.

**F**ortè meas inter Musas, Nuffere, ligatum  
 Fingebam placidæ carmina mentis opus,  
 Feruidus ac toto meditabar pectore, nostras  
 Cum tua pulsauit litera missa fores.  
 Protinus accurri percontaturus ab illo,  
 Gratum qui clauso fasce gerebat onus.  
 Cuius, & unde salus nobis hæc missa ueniret,  
 Respondit uersus nominis esse tui.  
 Persolui grates puero, quia dona tulisset,  
 Essent argento quæ potiora mihi.  
 Ille nihil, præter Christi me gratia seruet  
 Pro solito breuiter more precatus abit.  
 Protinus à uinclis labefacta pollice charta,  
 Inijcio cupidus in tua scripta manus.  
 Inuenio plenum pectus candore niuali,  
 Absq; quod occulta fraude latenter amo.

C 3

Inuenio

## ELEGIARVM

Inuenio niueum, quo me ueneraris, amorem.

Qui cæcus, quando iudicat, esse solet.

Qui facit ut dicas de nobis largius æquo,

Quorum nec possum conscius esse mihi.

Scribo quidem uersus, sed Apolline scribo sinistro,

Iciunòq; fluunt carmina nostra filo.

Pegaseis nostras fauces non lauimus undis.

Fons iuuat ut sacra forte benignus aque.

Ardua Menalis non culmina rupis adiui.

Non mea deleta est Phœcidios amne fitis.

Nec tamen à studio me quisquam retrahet isto,

Donec in erecto corpore neruus erit.

Obtundant alij tenebrosis legibus aures,

Qui sunt ad questum turba parata, suas.

Inuigilet lucro, qui tot sibi splendidus optat,

Quot Dorylas quondam diues habebat a gros.

Sisyphias conquirat opes, qui Perside gaza,

Patria quò cumulet munera, plura petit.

Me iuuat expertem splendoris degere, nulla

Et sub priuata damna timere casa.

Me iuuat abstrusas rerum cognoscere uires,

Omnia quo fiant, quo pereantq; modo.

Me, ductore iuuat meditari carmina Phœbo

Prorsus, & ad senos ponere quinque pedes.

Me iuuat amplecti fugientibus ocia curis,

Quicquid & ingenui musa laboris habet.

Hæc

## LIBER.

Hæc ita qui nobis tranquilla munera uite

Inuidet, à nostra sit procul ille domo.

Ad Zererum. Elegia XVII.

**A**ysonios uisurus abis, Zerere, penates?

Nec te mansueta uoce moratur amor?

Dure graues lachrimas, ac tristia uerba puellæ,

Quæ malè placato fundit ab ore, uides?

Dure uides, ut conspersos laniata capillos

Impleat immodicis stertibus ipsa domum?

Infelix talem uultum regina gerebat,

Quæ Libycis olim finibus exul erat,

Cum fatis Anchistades urgentibus actus

A Tyria uellet nauibus ire domo.

Illum causa grauis, rerum immutabilis ordo

Tam duri fecit pectoris esse uirum.

Quid te crudellem miseræ iubet esse puellæ?

Mollius ingenium conuenit esse tuum.

Proposito sed firma tuo sententia constat,

Et mens immoto cardine fixa manet.

Auspicio facturus iter proficiscere fausto,

Fertilis ac terre rura beata subi,

Suauius & Latios inter uicture poetas

In memori nostrum pectore nomen habe.

Ad Vitum Amerpachium.

Elegia XVIII.

C 4

Incipiunt

## ELEGIARVM

**I**ncipiunt nostræ feliciter ire quadrigæ,  
 Vite, nisi prorsus decipiamur, iter.  
 Cæca mihi uultus monstrat fortuna serenos,  
 Iam numerat ternas grex meus auctus oues,  
 Non semper radios obducunt nubila, clarum  
 Quos Phœbi supera spargit ab arce iubar,  
 Memnonis interdum surgens sed mater amœnum  
 Lumine producit splendidiore diem.  
 Non semper nostram pluuiosis Aeolus Austris,  
 Quos tenet in clauso carcere, torquet humum.  
 Nonnunquam Zephyri tepido spiramine flantes  
 Imbribus exhilarant indiga prata suis.  
 Sic mea uentorum rabie uexata furenti  
 Inuenit tandem littora tuta ratis.  
 Littora tuta uoco, nec enim reor esse futurum,  
 Ut deus extemplo, quod dedit, eripiat.  
 Verum quicquid id est, nostram quod Vite salutem  
 Curat (in his rebus stat mihi nanq; salus)  
 Omne tuis studijs adscribam semper, erisq;  
 Post ipsum nobis cura secunda deum.  
 Porro uirgineas referentia carmina laudes,  
 Quæ leuis adiuncto fasce papyrus habet,  
 Iudicio trutinanda tuo sunt missa, proinde  
 Quæ malè sunt, damna, quæ bene scripta, proba.

Ad Clauum, Elegia XIX.

Clau,

## LIBER.

**C**laue, mei teneris animi formator ab annis  
 Dulcis ab ætherno sit tibi patre salua.  
 Quod tibi conscripto non uenit epistola uersu  
 A nobis, anni præterière duo.  
 Quid referam, quæ fors animo sententia surgat,  
 In mentem quoties res tibi nostra uenit?  
 Cum tibi succurrit studij quota portio nostri,  
 Cuius præterito tempore ductor eras.  
 Haud dubie rerum cura tangere mearum  
 Exigua, præter fiat ut illa nihil,  
 Quoq; tuus, quæres, Aurrachius erret in orbe,  
 Quæ ratio studij, curriculumq; mei.  
 Accipe rem paucis descriptam uersibus omnem,  
 Quos modici spacij pro ratione damus:  
 Crine deam cepi (placido sed numine dicam)  
 Fronte capillata quæ gerit acre caput.  
 Venimus in studij cursumq; locumq; prioris  
 Successus fato prosperiore mei.  
 Aonijs operam plenam nauare puellis,  
 Temporis oblata commoditate, quæo.  
 Doctas dum nobis inter licet esse cohortes  
 Non ita sub misero, quam fuit ante, statu,  
 Quo suppressus eram, sectari molliter almas  
 Nec poteram iusta sedulitate deas.  
 Non ad præfixum recto contendere cursu,  
 Qui stat Pieria summus in arce, scopum.

C 5

Non

## ELEGIARVM

Non accurata scrutari indagine causas,  
 Quas, qui rimantur Delphica sacra, tenent.  
 Non Aganippocos colles inuisere, sacri  
 Lambere Pegaseas non Heliconis aquas.  
 Qui labor ingenuos homines exornat, & illam,  
 Quæ uiget in pulchro musica turba gradu,  
 Inter quos aliquo posimus ut ordine poni,  
 Hæc superest nostræ meta petenda rati,  
 Dum mihi non caluo Rhannusia uertice tristes  
 Ostendet uultus prospera facta suos,  
 Et sic non atro fortuna minabitur ictu,  
 Ut mihi iam dudum dura nouerca fuit.  
 Scilicet hos uentos obseruet nostra carina,  
 Hic mihi sit Zephyrus mitior, ille Notus.  
 Ut sumus in studijs quondam puerilibus usi  
 Cura, præceptor mi uenerande, tua,  
 Cum tua formandos industria sumeret annos,  
 Tempora iam primis artibus apta, meos.  
 Sic præit eximius iuuenili tempore Phoenix,  
 At nomen quæris forsân? Amerpachius.  
 Parte suum tribuit tamen hac fortuna fauorem,  
 Ut fuerit nobis inuidiosa diu,  
 Te duce quod primus Musarum limen adiui,  
 Talis & ostendit nunc Ariadna uiam.

Ad Georgium Chunium.  
 Elegia XX.

Nos

## LIBERI

**N**os coniungit idem studium, nos Iuppiter idem  
 Discordante duos non finit esse fide.  
 Nos prope sub tecto sociat conuictus eodem,  
 Quæ res non paruum pondus habere solet.  
 Cur non ergo ligat maior coniunctio mentes?  
 Pectora sic nobis desidiosa iacent?  
 Non uideo, quid nos à crimine uindictet isto,  
 Hic procul à nostro corpore torpor eat.  
 Solertes animos, & libera pectora, Chuni,  
 Candidus ingenuo numine Phœbus amat.  
 Phœbus amat lucem tenebris infensus opactis,  
 Nil simulat Phœbus, dissimulatq; nihil.  
 Mutua nos inter socialis fœdera iuris  
 Perpetuo cultu molliter esse iubet.  
 Spiritus hæc largo cecinit Nasonis amore:  
 Quot Vates adcrant rebar adesse deos,  
 Cuius ego diuina sequor uestigia, sacri  
 Musica quicq; colunt numina fontis, amo.  
 Arcto nos igitur Thescia uincula nodo  
 Iungant, hæc animi sunt rata nota mei.

Ad Nufferum. Elegia XXI.

**Q**uestus eram nuper discessum carmine Macri,  
 Cum fuit ad patrios ille profectus agros.  
 Hæc statuebatur lugubri summa querelæ,  
 (Sufficiens, quæ me causa mouebat, erat)

Scilicet

ELEGIARVM

Scilicet in lato, qua se Germania fundit,  
 Quod dominaretur Martius orbe furor,  
 Creuerit, immensas & praua licentia uires  
 Nacta, quod imperium uellet habere suum.  
 Candida quod probitas, cultus frigeret & equi,  
 Nullus haberetur quod pietatis honor.  
 Vera quod immundo cæno doctrina iaceret  
 Obsita, syncerus non coleretur amor.  
 Quod faceret propria sed quisq; libidine raptus  
 Contra legitimi iura, fidemq; status.  
 Hæc ita cum paucis complecterer omnia scriptis,  
 Quam timui nostro posse nocere Macro.  
 Heu nimium uero præfagia pessima motu,  
 Heu nimium certa scripta probata fide,  
 Si, uagus ad nostras rumor quæ detulis aures,  
 Non fuerint falso nuncia uana sono.  
 Dicitur infesto graue uulnus ab hoste tulisse,  
 Latronumq; truces subcecidisse manus,  
 Saucius ut iaciat fuso, Nussere, cruore,  
 Nec possit nostras rursus adire domos.  
 Tristibus impediior lachrimis, ne cætera scribam,  
 Quæ sunt inuitis auribus hausta mihi.

Ad Ioannem Streiblium.

Elegia XXII.

Q Væ mihi uenator misisti munera, Streibli,  
 Vulpem cum pardo uersicolore catam :

Dispercam,

LIBER.

Dispercam, si non gratissima dona fuerunt,  
 Qualia nec solers mittere posset Abas.  
 Qualia non Helymus regis comes unus Aceste,  
 Trinacrij nouit quem uaga sylua iugi.  
 Qualia non Amycus, quo non felicior alter  
 Tincta uenenata mittere tela manu.  
 Acolij iuuenis concedat gloria, cuius  
 Vxor ab ignara mortua cede cadit,  
 Dum latet in dumis exploratura maritum,  
 Situe peregrino captus amore, suum.  
 Cedat & Actæon. Superas nam strenuus omnes,  
 Gloria uenatus rarior estq; tui.  
 Non etenim clamante canum stipate caterua  
 Cepisti tales, munera magna, feras.  
 Non immanis Hylax, non rauca uoce Pilaster,  
 Non tibi mordaci Lelapa dente fuit,  
 Linea non ullis tendisti retia plagis,  
 Ut uenatorum cætera turba solet.  
 Atqui casta tuos inuit Diana labores,  
 Nam dea Pierijs uatibus ista fauet.  
 Non facit hoc temerè Latonia pulchra: poëta  
 (Fortè nec ignorat) sunt quoq; turba sagax,  
 Et canibus gaudent, ac torui numine Fauni,  
 Montibus in magnis sepe poëta latet.  
 Sepe poëta Deæ conatus carmine laudat,  
 Venatur celeres sepe poëta feras.

Sicut

ELEGIARVM

Sicut heri fausto quoq; uenabare labore,  
 Patria te nobis cum tua restituit.  
 Pugnacesq; feras petis haud indagine segni,  
 Feliciq; capis conditione feras.  
 Non illas, quarum facilis sit copia nobis,  
 Non, quas hic etiam rustica turba capit.  
 Sunt aliae, nostris quae non è montibus ortae  
 In grandi praeco scilicet esse solent.  
 Gratulor ergo tuis læto uenatibus ore,  
 Successusq; regant prospera fata, rogo.  
 Interea mihi uolo sacrificare Dianæ,  
 Quò tibi uenanti præbeat ipsa Canes.  
 Atqui cum raucis uenaberis ipse molossis,  
 Quas mittes prædas tunc mihi, quasq; feras?  
 Obijcis at nobis, ita non saturate quiescis?  
 Quæ rapuit mentem dira cupido tuam?  
 Non satis est, etiam Phrygios expecto leones,  
 Sed nec adhuc nostram cernis auaritiam?  
 Mitte uolucripedes ramoso uertice ceruus,  
 Cum frendente truncem Tigride mitte lupum.  
 Non petimus gratis, nam quas industria præbet  
 Nostra feras, si uis, esse putato tuas.  
 Si dulci satiare gulam pinguedine possunt,  
 Permitto fauces exaturare tuas.  
 Si possint in delicijs aut forsitan haberi:  
 Delicijs illas protinus adde tuis.

Ad

LIBER.

Ad Macrum. Elegia  
 XXIII.

**H**esternæ quicquid sum tecum luce locutus  
 De uaria rerum conditione, Macer,  
 Cum spaciaremur, magno quæ flumine muros  
 Linqvit, uicinos & rigat Ister agros:  
 Somnus qui resouet lassatos corporis artus,  
 Futilis utq; animum ludat imago, facit,  
 Reddidit, ignauæ cum languida membra quieti  
 Essent hæc solito tradita nocte toro:  
 Quæ studijsq; sumus de nostris uerba locuti,  
 Expressit uiuis omnia luminibus.  
 Quem nostris humeris imponere quippe laborem  
 Conueniat, nimium qui graue non sit onus.  
 Migrandum nobis formosæ an sit in arcæ,  
 Bartolæ siue tuas, siue Galenæ tuas.  
 Castis an potius deceat seruire puellis,  
 Phœbeæq; sequi plectra sonora lyre.  
 Ecce nouem ueniunt exoptatissima Musæ  
 Turba, iuuat fessum corpus amica quiete.  
 Cur dubitas, aiunt, quid suscepisse laboris  
 Parua tui ratio debeat ingenij?  
 Dic modo, quid riuus præstabit in æquore, pleno  
 Quamuis in refluxas amne feratur aquas?  
 In sacris operare, puer charissime, nostris,  
 Conueniens curæ res erit ista tuæ.

Nam



## ELEGIARVM

Nam quid dulce tibi fuit unquam, præter amicas  
 Musas, & quicquid Cynithia pleetra sonant?  
 Ergo putas nostrum numen contemnere tutum,  
 Nec parere sacris uocibus, esse tibi?  
 Esse poetarum nomen uenerabile nescis?  
 Dicuntur Clarijs dedita turba choris.  
 An scæpe ignoras quid differat ergo prophanis?  
 Nil penitus, si non uis sacer esse, sapi.  
 Quapropter ne sperne deas tam pulchra monentes,  
 Si facies, nobis gratus alumnus eris.  
 Dixerunt, subito discessit somnus, & ipse  
 Nil uideo præter triste cubile meum.

### Ad Estherum, Elegia XXIIII.

**N**ullane concelebras hodierno tempore lætus  
 Gaudia natalis, Bartolomæe, tui?  
 Nonne focus plenis oneratur lucidus ollis?  
 Nonne parat molles lauta culina dapes?  
 Hoc fugitiua decent, sed candida gaudia tempus,  
 Ista dies fausto transeat auspicio.  
 Optima quæq; premant trepidantem sercula mensant,  
 Exundent madido pocula plena mero.  
 Dulcia cornuti qui spernit munera Bacchi,  
 Contemnit læti quicquid ubiq; iuuat.  
 Omnia nam tristi ceu sunt insulsa quiete  
 Quæ tu non condis numine, Bacche, tuo.

Non

## LIBERI

Non risus crebriq; uolant hinc inde cæchynti,  
 Verbaq; iucundis plurima mixta iocis.  
 Liber ut ergo suo pater adsit munere, crebris  
 Cardibus Petri cella trilinguis eat.  
 Tota domus suauis sac spiraret aromate sic, ut  
 Pyxidas euacuet pharmacopola suas.  
 Gaudia nec sumas priuato solus in antro,  
 Adsit at ornata bella puella suo.  
 Carperis & quodam si fors, ut suspicor, igne,  
 Adsit promissa dulcis amica coma.  
 Adsint & Musæ, lepidos accersere sodales,  
 Inter quos & ego, si cupis, unus ero.  
 Natalis præsens ita postulat hora dici,  
 Quæ redijt festa luce serena tibi.

### Ad Leonhardum Hagenium, Elegia XXV.

**N**unquid scire cupis tuus hic Aurpachius, Hagni,  
 Quidnam, quo soleat fallere tempus, agat?  
 Et quibus incumbat studijs, cui deditus arti  
 Ocia nunc uitæ sumat honesta sue?  
 Scilicet in rigidis montanæ partibus oræ,  
 Per quam spumanti uoluitur Oenus aqua?  
 Viuit adhuc, seruatq; tui constanter amorem,  
 Qui non ex isto pectore fortè cadet.  
 Incumbo studijs, quibus hic incumbere possunt  
 Temporis, ac huius commoditate loci:

D

Quem.

## ELEGIARVM

Quem licet assiduo Phœbus non incolat usq;  
 Et ueniat raro Pieris alma pede:  
 Non tamen, ut uanius cessator, tempora perdo,  
 Quæ mihi sunt magno munera grata bono.  
 Ociâ ceu fugio scabiosam frivola pestem:  
 Quod faciam, præbet quælibet hora mihi.  
 Nunc disco, quæ suis isto discenda sub æuo,  
 Nunc alios doceo, nunc locor, atq; bibo,  
 Nunc sterili uersus componimus arte coactos,  
 Nunc struimus numero uerba soluta suo.  
 Nunc aliud facimus, de quo tibi scribere nolo,  
 Ipse, quid hoc, tibi si, uaticinare, libet.  
 Verum sancta quibus consumis tempora rebus?  
 Quis modus est uitæ, curriculumq; tuæ?  
 Num diuina sacræ sophiæ mysteria tractas?  
 Ac arcana dei dogmata scire cupis?  
 Atq; minas cœli, uires telluris apertas,  
 Vt quondam, uigili discere mente solet?  
 Si non totius naturæ indagine ferues,  
 Hagnius antiquus definit esse mihi.  
 Quare nonnullis me scriptis ergo salutas?  
 Vt studij possim certior esse tui?  
 Non qualem uideo mereatur culpa fauorem  
 Hæc tua: sit ueniæ pars ea summa meæ.

Ad Matthiam Alberum D.

Elegia XXVI.

## LIBER:

Nuper cum quidam nos hortaretur amicis,  
 O uir Pieria non reticende chely,  
 Carmine præclarum tibi quo gratarer honorem,  
 Quem sine mordaci nactus es inuidia,  
 Quo deus ad summi te culminis extulit oram  
 Maximus, in cælo constituitq; loco.  
 Subdubitans multum taciturus sensibus hæsi,  
 Dum nostræ libro stridula plectra lyre,  
 Ieiunioq; strepat quod nostra Thalia boatu,  
 Et nobis tenui carmen ab amne fluat:  
 Dum recolo quali doctrina præditus omnes  
 Excellas, quot habent climata nostra uiros,  
 Et quàm distineant te magna negocia captum,  
 Quæ tibi Fernandi regia celsa parit,  
 In qua pulchra tuæ uirtutis munera tractas,  
 In qua clara tuus splendor, ut astra, micat.  
 Atqui cum tacito reputarem pectore forsan,  
 Polleres animi qua bonitate tui:  
 Quam prudens, & Palladijs quàm dotibus auctus.  
 Adnij coleres membra sacrata chori,  
 Omnis continuo dubitatio mota quieuit,  
 Hæc ratio mentem susulit ancipitem.  
 Quin etiam promens mox instrumenta laboris,  
 Talia conscripsi nomine uerba tuo:  
 Præmia qui claris uirtutibus ampla spondit,  
 Ac fecit meritis ut suus esset honos,

D 2

Ingenuus

Nuper

ELEGIAR V M

Ingenuas spectauit honos quod nutriet artes,  
 Et laus quod prestans excitet ingenium.  
 Nullo qui siquidem ducuntur laudis amore,  
 Quosq; pigros nunquam gloria pulchra mouet :  
 His animi segnes putri torpedine marcent,  
 Ignauī nulla semper & arte manent.  
 Semper humi serpunt, metuunt sublimia semper,  
 Nominaq; ad caelum tollere clara timent.  
 Protinus ergo tuae quis non virtutis amaret  
 Perpetuas laudes, perpetuumq; decus ?  
 Solers & lumen mentis mirabitur altae,  
 Quo, dubium quicquid nascitur, omne uides ?  
 Et quis matura non de grauitate loquetur  
 Consilij, nullo qua minor esse soles ?  
 Quamuis Neleides magno conamine Nestor  
 Omnibus hoc fertur praeripuisse decus.  
 Cui non est culti facundia nota periculis ?  
 Hanc illi famam uix tamen esse finis.  
 Hausisti cupido Romanos ore liquores,  
 Adiungis iuri splendida uerba tuo.  
 Omnes larga tuae mirantur flumina linguae,  
 Indurata quibus saxa mouere potes.  
 Quare marmoreo stat robore durior ille,  
 Subq; uenenato pectore uirus habet,  
 Qui mordere tuam liuenti scommate famam  
 Non execrandum iudicat esse nefas:

LIBER

Si, generosa tuae quod sit constantia mentis,  
 Viderit, ac ueri suspiciendus amor:  
 Legitimi iudex quod sis iustissimus equi,  
 Et non fallaci cuncta bilance libes :  
 Nullis muneribus motus, nulloq; fauore  
 A recto flectas tramite quodq; pedem.  
 Clara Prienaeum quondam quae fama Biantem,  
 Ceu summo celebrem fecit honore uirum,  
 Quodq; animo leni, tamen ipso praeditus alto,  
 Omnia non stricto crimina iure leues.  
 Ius etenim summum quandoq; iniuria summa est,  
 Ac miseros duro pondere saepe premit.  
 Saepe grauis legum punit censura nocentes  
 Acrius, & maior crimine poena furit.  
 Mors iniusta uiros deformi labe carentes,  
 Ignota cause conditione, neccat.  
 Interdum strictos homicida elabitur enses,  
 Nec timidis fures passibus ire solent.  
 Tanta premit miseros iniuria saepe clientes,  
 In summo tantum iure rigoris inest,  
 Quem tua solerti prudentia temperat actu,  
 Ut pauidos onerent pondera nulla reos.  
 Ingenij liquido decernis acumine uerum,  
 Ne quis & iniustam uim patiatur, agis.  
 Nil non exacta cura metiris ad unguem,  
 Omnia laudata sedulitate geris.

## ELEGIARVM

Subdita nunc igitur miserorum turba clientum

Gaudia sub tacito pectore multa fouet,

Porrectas tollit supplex ad sidera palmas.

Teq; diu talem possit habere, rogat.

In cuius secreta fidem confidere possit,

Omnia qui clemens iudicet acta pater.

Sub cuius fugiens alas bene tuta quiescat,

Vt pullus cara sub genitrice latet.

At nos, qui liquidos fontes Heliconis in umbra,

Et colimus teneris antra reclusa uiris,

Letandum nobis an non etiam esse uidemus,

Vt fuit antiquo tempore Naso tibi?

Tarpeias quando uidisti scandere rupes,

Insigni fabios cum grauitate tuos,

Fortes ut regerent dicendo iura Quirites,

Curarentq; sua munia quæq; uice.

Letandum nobis etiam nunc esse uidemus

Tanti de subita prosperitate boni.

Cum splendere tuum solenni nomen honore

Incipiat, laudes & numerare suas.

Populus illustri cum flore alta uigore,

Omnibus ac præstet celsior arboribus,

Vincat & Idæam fragranti flore cupressum,

In sacris tantum digna uirere locis.

Verum ne simus longo sermone molesti,

Addemus præter disticha bina nihil:

## LIBER.

Mobilis ante uagum mutabit circulus orbem,

Et prius Hesperio surget ab æxe dies.

Quam tua non memorem seruarint nomina famam,

Nil quibus Alpinus clarius Oenus habet.

Ad Ioannem Fuxium.

Elegia XXVII.

**N**ulla quod a nobis legisti carmina, Fuxi,

Ad Musas tanto tempore missa tuas,

Vt non inuitus fatear, quod sentio uerum,

Quæ tantæ fuerit, nescio, causa moræ.

Hoc scio, pro meritis iustas persolvere grates

Quod fuerit nostri muneris illud opus.

Ingenuosse fuisti me uanq; fauore,

Hospes cum uestra imper in urbe fui,

Gratam si nullo testaret carmine mentem,

Turpis ut ingrata dicerer esse nota.

Quod uicium nobis tam detestabile uisum est,

Quam ualuit meriti gratia magna tui.

Non ita mucronem scelerati uito latronis,

Nocturnas timidi furis & insidias.

Non sic occursum Getuli horresco leonis,

Vt fugio talis nomen inane uiri.

Quisquis enim crudele nefas, & morte piandum

Laudat, quo Xerxis fama sepulta iacet:

Cum iusit medio discedi corpore natum

Hospitis (ô facinus grande, scelusq;) sui,

ELEGIARVM

Et quæ iustitiæ uenerando seu a patrono  
Sunt ab Ericthæis crimina facta uiris.  
Dum cogebatur patrijs à mœnibus exul  
Tristia cum tacito damna pudore pati.  
Ille rudes inter meritò numeratus asellos  
Famofus turpi nomine semper erit.  
Ergo sufficiat purgatio nostra, rogamus:  
Fortè satis quodam tempore gratus ero.  
Qui me tam longo nouisti tempore talem,  
De studio debes non dubitare meo.

Ad Erasmum Vendium,  
Elegia XXVIII.

**N**escio quæ uexat nostras insania fauces,  
Non possum laxo gutture uerba loqui,  
Languentisq; dolent obstructa foramina colli,  
Quæ linguæ claudunt, impediuntq; uiam.  
Iam nihil occluso, uelut essem mutus, ab ore  
Præter uagitus reddere signa queo.  
Ascendunt liquidi stillantia phlegmata puris,  
Quæ tamen in madida cogor habere gula.  
Inspidum nescit congesti pondus acerui  
Lingua per asperfas ciacularare trabes.  
Ergo leuaturus mœstum sermone dolorem,  
Vendi, continuo limina nostra subi  
Ne teneat uocem tumefacto gutture collum,  
Omnia per nutus excipienda ueres:

Aut

LIBER,

Aut fortasse timor cumulatâ carne molestus  
Desinet esse statim, te ueniente, mihi.  
Ad Macrum, & Nufferum,  
Elegia XXIX.

**H**Ac mihi sum uisus uobiscum nocte natare  
In fluuio patrias prætereunte domos,  
Annis erat rigido de pondere frigoris asper,  
Ut morem ratio temporis huius habet,  
Tardabasq; meos inter, Nufferere, natandum,  
Ut starent, ueluti lassâ carina, pedes.  
Hinc ira commotus aquas, & flumina linquo,  
Et curuas repeto littoris ipse uias,  
Cumq; prior nitidis indutus uestibus essem,  
Consuetæ rursus limen editur aquæ.  
Verum quæ fluuio circumdatur ora, iacebant  
Libri, Palladijs copia grata uiris.  
Protinus hinc igitur, quem me fortuna uolebat  
Ex medio numero sumere, sumo librum,  
Inq; manus docti ueniebant carmina Vatis,  
Præsule quo sapiens usa Cremona fuit.  
Perlego non unam, dum fallo tædia, chartam,  
In medio uestrum nabat uterq; mari.  
Optima pars autem cum lectâ poëmatis esset,  
Ter liber è nostra decidit ille manu,  
Ac toties gelida nobis porrectus ab unda  
Præuè nil maculæ uisus habere fuit.

D 5

Gaudebam

## ELEGIARVM

Gaudebam dignos tam clari uatis honores  
De nobis merito nil potuisse queri.  
Hæc ergo dum sic ultro, citroq; geruntur,  
Deserit irriguus lumina nostra sopor.

Ad Estherum. Elegia XXX.

**Q**uod petis, ut donem concesso crimine culpam,  
Qua pedis in uersu luserat officium,  
Miror uersuta quam sis & callidus arte  
Nosco, dolumq; uasra mente præhendo tuum.  
Scilicet ista rogas à me peccata remitti,  
Quæ uix censura digna fuere mea.  
Sed quæ iure graues meruissent crimina poenas,  
Oculis, & tacito doctius ore files.  
In uersu labi non turpis casus habetur,  
Quem labor exiguus tollere possit humo:  
Occulta fidum sed fallere fraude sodalem,  
Hoc poteris nullo thure piare scelus.  
Cur non magna petis potius delicta remitti?  
Tam parui lapsus crimina nemo uidet.  
In me cum grandi peccasses crimine nuper,  
Asperior stomachum mouerat ira meum.  
Diximus irato tibi uerba minantia uultu,  
Ingentem culpam diximus esse tuam.  
Omnia ceu surda patientius aure uorabas,  
Necte purgabas scripta per ulla mihi.

## LIBER:

Et nunc in minimo cum sis errore præhensus,  
A nobis ueniam supplice uoce rogas.  
Bellus homo paruam defendis carmine noxam,  
Grandius & muto contegis ore scelus.

Ad Felicem Fidlerum poetam:  
Elegia XXXI.

**M**iraris fortassis, & hæc dubitatio mentem  
Inuadit, iuuenis candide, parua tuam:  
Scilicet exuto pudibundæ frontis honore,  
Carmina quod soleam mittere nostra tibi.  
Ambigua uerum mirari desine mente,  
Te per Musarum numina casta precor.  
Non facis hoc, quod demeritis culpa Thalia,  
Non adeo stulti nos sumus, sed rudes,  
Ut non tam docti discrimen habere queamus  
(Vera tibi dico) qualis es ipse, uiri.  
Nec uexat nostram sufflata superbia mentem,  
Ut rear hos uersus posse placere tibi.  
Certè mitto tibi, nugas inuitus inertes:  
At Musæ nimio captus amore tuæ.  
Quod melius possis ut credere, perlege pauca,  
Quæ pede distorto carmina scripta uides.  
Nuper in exiguo uidi tua carmina libro,  
Protinus & mecum talia dicta dedi:  
Fata tuo non luserunt in nomine: Felix,  
Voce quod eximia diceris, esse soles.

Et

Felici

ELEGIARVM

Felicis scribis pulcherrima carmina uena,  
 Ornari seruo dignus Apollineo.  
 Phœbeos inter qui connumereris olores,  
 Dignus es, egregium possideasq; locum.  
 Nescio quæ multos Nemesis uæsana poëtas  
 Sic genij stulto uexet amore sui,  
 Profusus ut aërios cupiant ascendere montes,  
 Carmina si duro pauca labore cacant,  
 Quæ pituitosum generarent lecta catarrum,  
 Aut febrim, quarta quæ redit usq; die.  
 Tu qui summorum posses fortissima regum  
 Pieria melius dicere facta chely,  
 Elatus tumido nequaquam uentre superbis,  
 Mens tua sed fastus abijcit alta procul.  
 Hec animi generosa tui præstantia zelo  
 Nos etiam mouit non ita fortè malo,  
 Constrictis uerbis ut epistola nostra ueniret  
 Ad, Eidlere, tuas officiosa fores:  
 Quam lege non oculis inuitis, atq; seuero  
 Vultu, sed quali cætera multa legis.  
 Ad summos quali proceres in Cæsaris aula  
 Tincta Perideo uerba lepore facis.  
 Sic te perpetuis constanter amabimus annis,  
 Si non cessabis, qualis es, esse mihi.

Ad Villanum. Elegia XXXII.

Quid

LIBER I

Q Vid iuuat in tacitis, Villane, sedere tenebris,  
 Cum nitida possis luce subinde frui?  
 Cum caput in genuas extollere posse per artes  
 Non tibi sit magni grande laboris opus?  
 Te si quidem recto ueneratur Phœbus amore,  
 Teq; uocat natum turba nouena suum.  
 Aonijs sacras hausisti culminis undas,  
 Ingeniumq; regit dexter Apollo tuum  
 Non laceris ergo pannis inuolue talentum,  
 Quod deus hac illi conditione dedit.  
 Scilicet ut multo cum fœnore redderet olim,  
 Ut solet admoto uomere cultus ager.  
 Viuereq; ignoto peregrinis nomine terris  
 Non committendi criminis instar habe.  
 Effuge fumosas omni conamine noctes,  
 Splendentem niueo quære colore diem.  
 Clarum quære diem, pulchra qui luce celebrens  
 Efficiat famam nominis esse tui.  
 Nam mea iudicium quamuis mihi denegat ætas,  
 Qua forsitan falli debiliore queam:  
 Attamen abiecto, Villane, timore fætor,  
 Musa mihi quantam spem tua præbuerit:  
 Ne permitte situ facilem torpere Camenam,  
 Floreat ingenij splendida uena tui.  
 Scriptum posteritas laudabit sera uenustum,  
 Dicit & hic etiam uir generosus erat.

Conspicuum

ELEGIARVM

Conspicius fieri propria contende Minerua,  
Naturæ certauiribus, arte, modo.

Te commendatum non ætas ulla tacebit,

Quam faciet multos hora futura dies.

Ad Ioannem Mappum de Haimone  
Gigante. Elegia XXXIII.

**Q**ui legit annales, & prisca secula mundi,  
Antiqui strages quasq; dedere uiri,  
Non adeo uasti mirabitur ille Gigantis,

Mappe, quod ex ligno pondus inane uidet.  
Aspice ferrato regem dormire cubili,

Corpore quod cubitos æquat atroce uouem.

Nonne uides olim terram incoluisse Gigantes?

Et prisca aliquam rebus inesse fidem?

Scilicet immani gestantes corpora mole

Fratres, ex terra parturiente sator.

Qui crudo rigidis in montibus ore uagati

Indixere truces bella cruenta feris,

Viceruntq; seros immiti strage dracones,

Centaurusq; graui uulnere nubigenas,

Quæq; uenenosis aluerunt monstra cauernis

Inculti montes, & iuga torta iugis.

Et qui spernentes coelestia numina, frustra

Strinxere in superos impia tela deos.

Scilicet ut, pulso supremi numine regis,

Incolerent alti regna profunda poli.

Quorum

LIBER.

Quorum de numero fuit, hoc quem grande sepulchrum  
Significat uasta mole fuisse uirum.

Conscripto cuius numeratur nomen in albo  
Cyclopum, factis qui uiguere suis.

Concaua qui linquens uiolenti littora Rheni  
Venit in hunc, dubia sorte ferente, locum,

Qui rudis, ac incultis adhuc, nullisq; decorus  
Aedibus, informis nil nisi campus erat.

Antra ruinosis in uallibus horrida stabant,  
Partibus hærebant diruta saxa suis.

Pendebant laceræ casuris rupibus Alpes,  
Desertis inerant moenia nulla iugis.

Cessantem nemo scindebat uomere terram.  
Diuinus Cereris namq; iacebat honos,

Agreges homines herbofo gramine pasta  
Viuebant inter monticulasq; Deos.

Præbebat terræ facies inculta relicte  
Nutrimenta malis apta Latrocinij:

Quæ tamen illustri Dieterus origine Princeps  
Extirpare pia strenuitate uolens

Ingentes petijt uiolento Marte Cyclopes,  
Cumq; feris gessit prælia dura uiris.

Quamuis nonnulli malesano pectore dicant  
Res omnes huius principis esse nihil.

Atqui falluntur, pulcherrima signa supersunt,  
Quæ faciunt istis rebus adesse fidem;

Quæ



## ELEGIARVM

Quæ prope Mæronam ueteri seruantur in arce,  
 Splendida quò tantæ sint monumenta rei.  
 Iste Gigas autem præclari nominis Haimo  
 Aetatis septem natus Olympiadas,  
 Cum rigidus huius peragrasset uallis in alpes,  
 In solo uoluit rure quiete frui,  
 Quod niueus præscio fertur cognomine campus,  
 Insigni floreus asperitate locus,  
 In quo telluris quidam fraterculus alter  
 Immenso nimium corpore uastus erat,  
 Qui gelidas alpes, & culmina summa colebat,  
 In propria tanquam sede moratus aper.  
 Is cum consortem regni perferre nequiret,  
 Ignotum statuit pellerè sede uirum.  
 Quid non inceptat regnandi tetra libido?  
 Quod non effrænes cogit adire malum?  
 Iamq; suum ualidis inuadit uiribus hostem,  
 Quas ex occultis struxerat insidijs.  
 Cæpta sed infauso respondent prælia sine,  
 Haimonis dextra protinus ipse cadit.  
 Iam uerò pietas nostras intrauerat oras,  
 Quaq; deum colimus, cum pietate, fides.  
 Impius ad Christum paulatim uertitur Haimo,  
 Ipsum patratæ poenitet atq; necis.  
 Incipit, & pura ueneratur mente Tonantem,  
 Quem temerè fastu spreuerat ante suo.

Tramite

## LIBER.

Tramite descendit paruo, quæ uitreus arua.  
 Plurima sulphurea præterit Oenus aqua:  
 Illic fortè feris, trucidusq; Cyclopius aptum.  
 Inuenit exacta sedulitate locum.  
 Quem sibi perpetuas in sedes eligit, illi  
 Datq; sua nomen de feritate ferum,  
 Germani patulo quod dicunt nomine Vuiltan,  
 Nomine deserto conueniente iugo.  
 Verum hic sincero cum uellet condere zelo,  
 Quam tuto coleret fessa senecta, domum,  
 Indicus ecce Draco squamosis aduolat alis,  
 Conatusq; pios impedit, ungue notat.  
 Pestiferum tetro de corpore spargit odorem,  
 Nec ualidos muros ædificare sinit:  
 Quem tamen angustis in rupibus ipse deinde  
 Diuino strauit fortior auxilio.  
 Execuit rapidis linguamq; è faucibus illam,  
 Cuius adhuc nucleum quisq; uidere potest.  
 Strenua ne uirtus manifesto teste careret,  
 Cerneret ac facti splendida signa sui.  
 Cum forti fortis domuisset pectore monstrum,  
 Pergit ad inceptum prærior illud opus,  
 Continuòq; suos absoluit more labores,  
 Atq; suæ ponit moenia parua domus:  
 Quam post assumptis coluit cum fratribus ipse,  
 Dum stabili floreus uita uigore fuit.

E

Ad

## ELEGIARVM

Ad Streiblium, Elegia XXXIIII:

**C**are tuas nuper, Streibli, missurus ad aures  
 Versiculos istos, ludicra scripta, meos,  
 Ite leues elegi sub amici tecta dolentis,  
 Dixi, & sermonis uerba referte mei.  
 Fortè suas curas uobis uenientibus ultero,  
 Fortunamq; uolet connumerare suam:  
 Dulcibus aut sophiæ studijs incumbet amice,  
 Aut uoluet uatum, quos amat ipse, libros.  
 Quicquid aget, quando missos uos esse uidebit,  
 Depositis curis depositoq; libro,  
 Obuius ipse manus attenta porriget aure;  
 Soluet & abiecta uincula parua mora.  
 Hec uobis, fortasse sui uenisse putabit  
 Solamen luctus, atq; patrocinium.  
 Quamuis utilius uobis mansisse fuisset,  
 Quam domini uestri prodere paupericem:  
 Ite tamen fausto securi fidere, uestrum  
 Nunc mora quando quidem nulla retardat iter,  
 Et placidam nostra præfati uoce salutem,  
 Talia de iussu dicite uerba meo:  
 Ille, tuas qui nos transmisit amicus ad ædes,  
 Te uice Germani fratris, habere solet.  
 Quicquid & immittunt aduerso fata furorè,  
 Immissam proprijs rebus id esse putat.

## LIBER.

Sæpe tuos illum casus conspeximus ipsi  
 Testatum luctu, flebilibusq; modis.  
 Sæpius, ac uinam possem, dixisse, sodalem  
 Dimidio saltem fæcè leuare meum.  
 Nulla cohercerent nostros incommoda gressus,  
 Obstruerent nostram nulla pericla uiam.  
 Siue niues essent algentes tempore brumæ,  
 Seu rabido fremeret feruidus ore canis.  
 Talia multa quidem non raro uidimus ipsam  
 Iactantem querula uoce sonare domi.  
 Quæ res ostendit summi quasi flumen amoris,  
 Quod mens è pleno promit amica sinu.

Ad suos pueros, Elegia XXXV,

**Q**uam tenera dulces producat ab arbore fructus,  
 Quæ studijs radix est operosa tuis,  
 Ignoras nondum solidos progressus ad annos,  
 Quisquis es à nobis erudiende puer.  
 Plurima nos ista collegimus arbore poma,  
 Hæc nobis crebro semita trita pede,  
 Securisq; sui longo nunc miles in armis  
 Tempore, sub clypeo sacra Minerva tuo.  
 Omnia cognoui, quamuis paucissima nactus,  
 Quæ tribuunt artes commoda Palladiæ  
 Expertoque iam dudum credere debes,  
 Quæ tibi non simili sunt manifesta modo.

ELEGIARVM

Sat scio, si messes sis peruenturus ad istam,  
 Ingenua grates mente referre uoles.  
 Quæ labor in studijs promittit præmia sumptus,  
 Attalicis longè sunt meliora bonis.  
 Splendida largitur uirtutis munera claræ,  
 Qua floret maius, nobiliusq; nihil.  
 Quin etiam quòd ad excelsos extollit honores  
 Qui superant clarum quicquid ubiq; uiget.  
 Qui non ad tantas omni conamine laudes  
 Egregio niti ductus amore cupit,  
 Hic uastos inter numeratus iurè Cyclopes  
 Dicitur in stolido pectora ferre sinu.  
 Ergo, care puer, monitus contemnere nostros  
 Noli, si pulchra cum ratione sapis.

Camilla Macro: Elegia XXXVI.

Qvam legis, Augusta tibi litera uenit ab urbe,  
 Non bene uirginæ munere facta manus.  
 Nullus adest nobis condendi carminis usus,  
 Scribendiq; nouam cogor inire uiam.  
 Fortè quid insolite tibi portet epistola dextræ,  
 Ac me quid iubeat scribere quæris? amor.  
 Qui mea crudeli præcordia uulnere tangit,  
 Atq; medullari flammeus igne cremat.  
 O quoties nuper, cum me tibi currus ademit,  
 Lumina nostra uago torta fuère modo,

illu

LIBER.

Illuc turri geras qua parte reliquimus arces,  
 Quas longo claudunt moenia uestra situ.  
 Meq; locus cupido non aptus habebat amori  
 In curru (liceat stulta referre mihi)  
 Extemplo (tales amor ingeniosus ad artes)  
 Mutauit sedem cum genitrice meam,  
 Ut mihi conspectum fugientis redderet urbis,  
 Iost habui primo posteriora loco.  
 Atui continuo pergebat nauita cursu,  
 Veloces si agro qui moderabat equos,  
 Quoq; fatigatis stat longius ire caballis,  
 Hoc minus apparent moenia celsa mihi,  
 Donec ab internis oculorum nutibus alta  
 Curris, postremo tempore uisa, fugit.  
 Quas ego non curas calido sub pectore uolui?  
 Quis dolor in tacita non mihi mente fuit?  
 Quæ non ex inuis suspiria ducta medullis  
 Pressi, matre suas iniiciente moras?  
 Sepe retardari spumantes æquore plano  
 Stabat equos, illud ne faceremus iter,  
 Versabam uarias animo meditante querelas,  
 Si qua meas posset causa iuuare faces.  
 Tu pudor obstabas misero malè grate furori,  
 Quo mater præsens afficienda fuit.  
 At mea finxisset cæcum uersutia morbum,  
 Aut alium licita calliditate dolium.

E 3

Quo

## ELEGIARVM

Quò leuis ad uestros essem, reditura penatæ,  
 Sed tu causa uicæ, non mihi morbus erat.  
 Me tua, quæ nitido uernabat in ore, iuuentus  
 A te pergentem quæ reuocabat, erat.  
 Quos habui tecum repeto ludosq;, iocosq;,  
 Omnia quæ nouit Rideriana domus.  
 Colloquij quando postremi uerba recordor,  
 Dextera se credit claudere nostra tuam.  
 Conscendi curram (mater conscenderat antè)  
 Nonnihil admoto corpore sulca tuo.  
 Heu, nisi me ludunt ignitæ fulmina flamme,  
 Pondere quam malles plaustra leuare meo.  
 Si me non ficto, pulcherrime, fallis amore,  
 Vt dubios augent talia multa metus.  
 Pessima uulgati rimores signa ministrant,  
 Quodq; mihi fluido lumine dixit anus:  
 Quid facis indignò percussa Camilla furore?  
 Herbida cur sterili semina tradis agro?  
 Littus aras, frugesq; tibi labor adferet istas,  
 Quas ex ambusta sumit arator humo.  
 Implicitus multis Macer ardet amoribus, omnes  
 Claudere nec Veneres sustinet una domus.  
 Quem uarius multas in partes distrahit error,  
 Vni non poterit commodus esse rei.  
 Talia dixit anus, sed non ego talia credo,  
 Meq; nec, ut uellem credere, mittit amor.

Fingo

## LIBER

Fingo mihi rugat mentiri fors an illes,  
 Talibus hæc etas inuidiosa bonis.  
 Succurrunt etiam, es nobis quæ uerba locutus,  
 Quum mihi postrema nocte uidendus eras:  
 Scilicet à nobis meas sic rapière Camilla?  
 Quando tuo rursum conspicière Macro?  
 Tunc ego, sed pudibunda genas, linguaq; trementi,  
 Quod nequeo, dixi, corpore, mente queo.  
 At tu sic nobis nam uisus es esse) repente  
 Debas recto plenus amore mihi:  
 Suauidum, uitæq; meæ spes, atq; uoluptas  
 (Hec tamen exili uoce) Camilla uale.  
 Te tuata uocant, ne possis corpore mecum  
 Ess, tamen, si ads, intente manere potes.  
 Nulla lies rutilo nobis descendet Olympo,  
 In qua mittetur non tibi nostra salus  
 Dixist, sed nullus adhuc mihi nuncius istinc  
 Venit, & ardentem me ferus urget amor.  
 Aesondes olim quæ crimina fecit Iason  
 Hysiphyle, nobis te quoq; uelle puto.  
 Exemplum Phrygij pastoris me quoq; terret,  
 Omnes ut curas pectus amantis habet,  
 Quem iurpis rex it pro uera coniuge pellex,  
 Que fuit ingentis causa pudenda mali.  
 Attamen hoc nobis emollit, quicquid acerbum est,  
 Quòd fruor ingenij dexteritate tui.

E 4

Credula

ELEGIARVM

Credula non ita sum, timidisq; obnoxia curi,  
 Quin me spes, etiam maxima semper alât.  
 Tu modo non animum fallaci pignore muta,  
 Vt facitis prauis, plerq; turba, uiri.

Macer Camillæ. Elegia XXXVI.

**A**vgusta carmen quod nobis nuper ab urbe  
 Ille tuus misit lampadis instar amor,  
 Legimus, & cupida peruoluimus omnia mente,  
 Tradita quæ digitis uerba fuere tuis.  
 Attamen in multis potui diffidere, nanq;  
 Fœmineum noui fallere posse genus.  
 Decipimur uerbis, astuta fallimur arte,  
 In qua præcipuus Naso magister erat.  
 Nec tamen & iuuenes soli fallantur amantes,  
 Fallitur à domino sepe puella suo.  
 Credidit Hypsipyle Aesonidi, male credidit illa,  
 Pellice nonne alia captus Iâson erat?  
 De te cur dubitem, quæris, cur fidere nolim?  
 Cur uerbis nolim credulus esse tuis?  
 Ecce tibi breuibus uerbis declaro: Puella es,  
 Docta es fœmineo fingere uerba dolo.  
 Fraudibus insidias, artes depellit arte,  
 Estis & in nostrum callida turba gregem.  
 Omnia sed posito iuuat hæc audere timore,  
 Fallentem, si quæ fallere pergit, habet.

LIBER.

Si mutatur amor, simul & mutetur amica,  
 Ac extingatur qui prius ignis erat.  
 Acut mutato uariantur tempore cuncta,  
 Sic nunquam stabili nomine perstet amor  
 Si placet ergo tibi leuibus me fallere technis,  
 Ne te poeniteat bella Camilla, uide.  
 Obsuit interdum simulata callidus arte,  
 Profuit at semper dissimulatus amor.  
 Hic uerius calor est, sed frigus dicitur ille,  
 Non uni quadrant ignis & unda loco.  
 Verum sunt quædam constanti mente puellæ,  
 In quarum numero tu quoq; fortè nites.  
 Aduolet ista tibi (quoniam tibi credimus) ergo  
 Romana nuper litera facta manu.  
 Quæq; prius scripsi, uentis committere fas est,  
 Namq; fidem uerbis fortius adde tuis.  
 Per lege, flagrantem testetur litera mentem,  
 Effugiant oculos subdola uerba tuos.  
 Non est in nobis fallaci flamma calore,  
 Nec Phrygius nano terreat ore Paris.  
 Non Venæris bene conueniunt & prælia Martis  
 Diuersum amborum corpora uulnus habent.  
 Me fora deterrent, ac usus rura colendi,  
 Nec iuuat informis gurgitis ingluuiës.  
 Sed tua me capiunt mater Berecynthia dona,  
 Et tua præ cunctis plectra sonora chelys.

ELEGIARVM LIBER

Hanc tu si mecum poteris traducere uitam,  
Posthac nil scribas, sed magis ipsa ueni.  
Quod fuit Aemonio quondam præclara marito  
Aemonis, hoc etiam te decet esse mihi.  
Pighora coniungant ambos communia, nec sit  
Quidquam, quod turbet gaudia nostra, mali.  
Nunc uelut in medio cursu lassata quiescit,  
Carmina nec pergit scribere plura manus.

Elegiarum libri  
finis.

Ioannes

IOANNES AVRPACHIVS

PAVLO GMAINERO AN-

ristiti Altano S. P. D.



INGVLARIS ILLA INGENII,  
& vitæ tuæ integritas fecit, Paule  
Gmainere Antistes optime, atque  
nonnulla beneficia nõ in me solum,  
sed etiam eos, q me sunt longe mihi  
cariores à te, atq; patre tuo Christophoro Gmai-  
nero viro humanissimo, & ornatissimo colloca-  
ta, ut id hoc tempore, quod, cum apud vos essem  
nuper, tibi tantum nutu, ac ita, vt vix, quid mihi  
vellem, intelligeres, recepi, facerem, hoc est, libel-  
lum hũc nomini tuo dedicarem. Agnosco autem  
me tibi plane, quicquid est hoc officij, debere vel  
propter patriam, quæ tibi mecum est communis.  
Quam tu cum non sine laude administras, vehe-  
menter hoc, vt amarem te, ac eiusmodi aliquo  
munere donarem, animum & studium excitauit  
meum, ac, vt hoc audacter facerem, velut calcar  
aliquod addidit. Cum enim eius mihi temporis  
in mentem veniret, quo primas olim, quibus im-  
buti sumus, artes à Ioanne Clauo viro optimo  
didicimus, ac velut in eo certatimus, quod erat  
nobis propositum, teq; viderem iam esse in ma-  
gno apud nostros honore, dignitatisq; fastigio  
constitutum, non potui teneri, quin aliquid etiam  
in

in eo, quo facile possem, elaborarem. Quia re tibi  
testificatum facerem & quid in his studiis, quæ tibi  
olim communia mecum fuerant, effecerim, &  
quàm fideliter amorem illum, quo fuerunt illo  
tempore animi nostri coniuncti, retinuerim. Ego  
verò non modo non retentum illum esse, quod  
ad me attinet, arbitror, sed etiam ingenti mole  
accreuisse propemodum sentio, præsertim cum  
id accessisse videam, quod vel vnum potuisset  
meum animum, vt in hac, aut simili re tibi gra-  
tificaretur, permouere: beneficia scilicet illa, quæ  
ad meos & sunt iam profecta, & proficiscuntur à  
te quotidie. Non autem existimes, velim, tam  
crassi me iudicij esse, vt satis ita factum tibi esse  
putem (hoc enim aut insolentis esset hominis, aut  
impudentis) sed scire debes maiore me aliquan-  
do pignore te donaturum esse, ac tuas, & patriæ  
nostræ communes laudes, vbiubi potero,

illustraturum. Tu interim hunc libel-

lum Xenij loco missum boni con-

sule, decp me, ac meis omni-

bus bene mereri perge.

Vale. Ingolstadtij

Idibus Aprilis

bus. Anno

1554.

IOANNIS

## IOANNIS AVRPA CHII

ALTANI FVNERVM LL

ber ad Paulum Gmainerum )

Antistitem Altanũ.

In mortem Erasmi Volfij, Epicedion.

**Q**uis adhuc fragili sub corpore mēbra fatigat,

Et facis humane conditionis opus.

Aspice, quàm subito fugiant mortalia casus.

Aspice, Sors homines quàm violenta premat:

Quamq; nihil maneat constanti sceleris, quamq;

Rebus in humanis optima quæq; ruant.

Pallida lethali mors demetit omnia falce,

Quæ facie præceps horridiore uenit:

Durum non habito seuit discrimine fatum,

Quæq; placent, nulla mobile uoce rapit.

Ergo quis hæc animo non indignante refutet?

Filæq; fatalis culpet iniqua Deæ?

Ni uideat, summi diuina potentia patris

Omnia quòd proprijs uiribus ista regat.

Quot pestes, quot perniciës, quot damna supersunt,

Quæ tamen, ut supera luce fruantur, habent?

Ad Strygiar trudi potius quæ digna paludes,

Præmia si meritis iusta darentur, erant.

Verum labentis iustissimus arbiter æui

His etiam pœnas destinat esse suas.

EVNERVM

In vicij aliquo progressis tempore cedit,  
 Crescat ut admissio crimine culpa magis:  
 Deniq; coelesti remeat gravitate uerendus,  
 Mittit & irata fulmina saeva manu.  
 Inq; tenebrosas ea pellit monstra cauernas.  
 Voluit ubi trifido Cerberus ore caput,  
 Tartareiq; ultrix Acherontis filia diris  
 Anguib; in fontes dicitur ire uiros.  
 Sed qui iussa sui peragunt diuina parentis,  
 Hos uocat ad patriæ gaudia uera domus,  
 Aethereas tribuit sedes, uitamq; beatam  
 Angelicos inter continuare choros.  
 At nimium laxo petulans oratio cursu  
 Luxuriat, rebus uix saturanda suis.  
 Tu mihi propositi iam dudum finis, Erasme,  
 Omnia præfixus terminus inter eras.  
 Quem Deus, atroci confossum cuspide mortis,  
 Duxit in excelsi regna beata throni,  
 Ut meruit pietatis amor, candorq; fidesq;  
 Excellens animi dexteritasq; tui.  
 Dignus eras homines inter traducere uitam,  
 Ni superis esses dignior, atq; polo.  
 Oram complexus prope nunc, quam margine plena,  
 Per uarias artes, circulus ambit, eras,  
 Nulla non dici poteras & doctor in arte,  
 Quam radio claudit circulus ille suo.

[ Ingenij

LIBER:

Ingenij longo numerabus ordine dotes,  
 Quas decet insignem forsitan habere uirum.  
 Donarat te culta suis Polyhymnia uerbis.  
 Ore quibus Latio Tullius usus erat.  
 Iam tua Caucasæas facundia docta mouebat  
 Tigres, quasq; seras Africa lata fouet,  
 Et tua crudelem flexisset lingua tyrannum,  
 Qui pueros perdi iusserat innocuos:  
 Prorsus ut à tanto retineret crimine mentem,  
 Conuersus summo se daret atq; Deo.  
 Quid tempestiuos referam, gratosq; lepores?  
 Et quos fudisti letus ab ore sales?  
 Nempe tui fortes cum nondum corporis artus  
 Pestifera tacti procubuere lue,  
 Cumq; tuos etiam uoluisti sanus amicos  
 Molliter ornatis exhilarare iocis,  
 Exhilarare iocis, sed quos decorabat ubiq;  
 Ingenius sacili cum gravitate pudor.  
 Quæ res multorum tibi conciliauit amorem,  
 Qui positum primo te coluere loco,  
 Atq; pependerunt à te, ceu plurima quondam  
 Sirenium blando carmine flexa cohors.  
 Scilicet audirent ut mollia rectius oris  
 Verba, Periclea uoce loquente, tui.  
 Scilicet ut lusus possent audire facetos,  
 Quos magna condita integritate, tuos.

Ergo,



FVNERVM

Ergo, qui Fabij splendorem, Nestoris ora  
 Mirantur, Latias & Ciceronis opes,  
 Incundis optant miscereq; seria rebus,  
 Materia formæ conueniente suæ,  
 Quem nos deflemus conscripto carmine tristes,  
 Erepti doleant funera moesta uiri.  
 Quid reliquas memorem nunc artes, in quibus ipse  
 Conspicius gnara fertilitate nites?  
 Solerti studio clarios inuisere colles  
 Vsq; tibi à puero sedula cura fuit.  
 Omnia Pteridum iam dudum munera nactus,  
 Egregij poterat uatis habere locum.  
 Pridem clara tuos ornabat gratia uersus,  
 Musæ maiestas & genialis erat.  
 Mollia dictabant faciles tibi carmina Nymphæ,  
 Palladij fueras maxima fama chori.  
 Ergo te luget uilloso Phœbus amictu,  
 Funereoq; canit triste tenore melos.  
 Incedit moesto gembundus lumina uultu,  
 Tristitiam gestu significante suam.  
 Iamq; tenet non læua chelym, non dextra sagittas,  
 Non habili tergo curua phœetra iacet:  
 Cærea dextra gerit diuino munera ritu,  
 Nititur a gressi fuste sinistra manus.  
 Vt tibi, quod multis non præstitit antè, sepulto  
 Eheu lugubres afferat inferias:

LIBER

Vt uiuo tibi quem fuerat largitus honorem,  
 Defuncto ueteri more probetur honos.  
 Hinc est, quod Musæ querulo modulamine plangunt,  
 Plurimus & rauca uoce susurrus abit,  
 Quo constructa loco sunt urbis moenia nostræ,  
 Quæ Boius rapidis alluit Ister aquis.  
 Hunc mouet Aoniæ symphonia mæsta cohortis,  
 Quæq; Camænarum uoce querela sonat,  
 Abijciat stupidas ut lento flumine guttas,  
 Amplius & fesso non uelit ire pede.  
 Hinc est, quod longa serie quàm plurima nuper  
 Ante tuum fleuit turba morata rogam.  
 Ex horum numero, doctas qui Palladis artes  
 Sectantur, sacri musica membra chori.  
 Quos tua seruauit pietas, studijsq; dicauit,  
 Præclaramq; pia mente locauit opem.  
 Quicquid adhuc autem numerauimus ordine longo,  
 Quod posset quædam gloria fortè sequi,  
 Nil extollendum maiori laude uidetur,  
 Et tam præstanti dignius esse uiro,  
 Insanos quam quod cruciatus, atq; dolores,  
 Quos peperit lenta mors odiosa mora,  
 Magnanimo constans deuicit pectore, fortis  
 Viperci uictor dæmonis atq; fuit,  
 Amisse nec discessit rationis ab usu,  
 Quod facit infirmi copia magna gregis,

## FVNERV M

Diuinisq; fuit semper sermonibus usus,  
 Donec anhelantis spiritus oris erat.  
 Atq; ter antiquum sic est affatus amicum,  
 Quam deceßisset, luce priore suum:  
 Marce precor Schellenbergi, charissime frater,  
 Basiolum placidæ da mihi pacis, ait.  
 Cumq; ter hæc ab eo placidè sic dicta fuissent,  
 Atra fatigatam clauserat umbra diem.  
 Iamq; ferè medio nox adproperauerat axi,  
 Tempore mortales quò iuuat alma quies:  
 Iussit Amerpachium, quo non erat aptior alter,  
 Ad lectum tenui uoce uenire suum.  
 Cum qua diuinis de rebus multa loquendo  
 Verba leuabatur non, mihi crede, nihil.  
 Multa modò respondebat, modò multa rogabat,  
 Quæ iubet hæc certis hora rogare modis.  
 Colloquio tandem finito, mæstus abiuit,  
 Ac iterum paulò post reuocatus adest.  
 Quatuor exortus nondum sol fecerat horas,  
 Aduersos lecti cum stetit ante pedes,  
 Intentis oculis, & uultu cernere forsitan  
 Promptus, ne subita morte periret, erat.  
 Protinus obscuris reuocans at uocibus illum  
 Hic tales tardo protulit ore sonos:  
 Dulcis Amerpachi, præceptor, frater, amice,  
 Maxima curriculi fama, decuq; mei,

Oscula

## LIBER I

Oscula securæ mihi porrige mitia pacis,  
 Quæ non fucati pignus amoris erunt.  
 His ita perfectis paruo post tempore cepit  
 Demissum tremula flectere mole caput,  
 Istaq; perpetuam flagrantia uerba salutem  
 Præfatus, pulchra commoditate moris  
 Immerita qui delesti mea crimina morte,  
 Sis placido clemens numine, Christe, mihi.  
 O admirando munus laudabile cultu,  
 Quo Deus, ut recto donat honore suos,  
 Scilicet hæc nostros animos exempla morentur,  
 Ista quibus duro, calle terenda uia est,  
 Qui metam simili cursu properamus ad istam,  
 Sumpturi niuea præmia larga manu.  
 Ut Christi uerum sic agnoscamus amorem,  
 Quo retinet nostrum, prosequiturq; genus.  
 Aethernum grato laudemus carmine patrem,  
 Cuius nos bonitas seruat, alitq; fauor.  
 Cuius uirtutes lucent in morte piorum,  
 Quos ad regna suo sine paterna uocat,  
 Forteq; supremi tribuit certamen Agonis,  
 In quo uictores hos tamen esse facit.  
 Ad talem clypeos aptemus nos quoq; pugnantis  
 Si sapimus, luctæ nostraq; terga suæ:  
 Deuicto ne non sublimes hoste triumphos,  
 Victa sed amissa signa feramus ope,  
 Perdamusq;

F 2

FVNERV M

Perdamusq; sacrae pigro torpore quietem  
 Sedis, & infernas deueniamus aquas.  
 Nunc ubi uellemus suffragia dicere uulgi,  
 Quaeq; suo uoces quilibet ore daret,  
 Occurrere mihi communia uota, precesq;  
 (Ut licet in medio multa uidere foro)  
 Te quibus ad rutilum populus sustollit Olympum,  
 Diuinamq; pijs uocibus orat opem,  
 Teq; refert casto caelum meruisse pudore,  
 Et dulcem pura religione Deum:  
 Quod facili indoctam formaueris ordine plebem,  
 Ut caperet uera munera leta fide.  
 Nec coleret uanas rectis pro cultibus aras,  
 Ferret & indignis irrita sacra dijs:  
 Vinca ne Christi caderet, perspexeris acri  
 Lumine, quae fidus dona colonus habet:  
 Non qui conductus uili mercede laborat,  
 Nec, nisi compulsus pascere, pascit oues.  
 Grex igitur ductore carens te plorat ademptui,  
 Ipsaq; te moto cardine templa gemunt,  
 In quibus ampla sacri sparsisti semina uerbi,  
 Esset ut hic fructus uberioris ager.  
 Sed nunc suprema requiescis in arce beatus,  
 Nec te multorum uota, precesq; mouent.

EPITAPHIUM AV:  
 ctore Macro,

Conditus

LIBER:

Conditus angusta tellure quiescit Erasmius.  
 Volsius, angelicas possidet umbra domos.  
 Hunc Marcus posuit lapidem Schelbergius illi,  
 Cui semper similis uita fidesq; fuit.  
 Ante obitum cui ter dixit, charissime frater,  
 Perpetuo salue, perpetuoq; uale.  
 Hinc formam debes moriendi sumere quisquis  
 Tendis ad excelsum post tua fata polum.

IN FVNERE M. GASPARIS  
 Ormari Epicedion ad Alber-  
 tum Hartungum.

Vnde sed incipiam iustos, Hartunge, labores?  
 Quo tenerum ponat nostra Thalia pedem?  
 Cuius acerba rogas, pullato uertice tristis  
 A me funereo carmine fata cani,  
 Hic mihi uir tantum uolitantis nomine famae  
 Notus, dum nostro uixit in orbe, fuit:  
 Nec tamen, a nobis ut uero iure petisti,  
 Officium ratio protrahet ulla meum.  
 Eius desitebo lugubri carmine mortem,  
 Quem non uiderunt lumina nostra, uiri.  
 Scilicet hoc ipsum coniunctio nostra meretur,  
 Protinus ut, quicquid iusseris ipse, feras.  
 Vnde sed incipiam iustos, Hartunge, labores?  
 Quaeq; hanc ingrediar commoditate uiam?

F 3

Omnes

EVNERVM

Omnes Parnasso lugent in monte sorores,  
 Nec pulsum Clario pectine clangit ebur.  
 Latous citharam uiles abiecit in herbas,  
 Ac, animo tristi quod meditetur, habet.  
 Quod meditetur habet, quod mœsto lugeat ore,  
 Et sub acerbato pectore uulnus alat.  
 Inferias querula meditaturo uoce, dolorem  
 Vult hoc officio significare suum.  
 Scilicet hunc illis hoc numen præstat honorem,  
 Hæc illis pulchro munere dona uenit,  
 Sacræ militiæ blandissima castra secuti  
 Qui clausere suæ tempora longa moræ,  
 Ingenuis animum, formosæ laudis amantes,  
 Et qui doctrinis excoluere suum.  
 Qualis adhuc uiridi cultu crescentibus annis  
 Otmarus clara non sine laude fuit.  
 Ingenij multis, fulgebat dotibus, ipso  
 Principibusq; uiris nomine charus erat.  
 Magnanima forti pollebat robore mentis,  
 Veram nolebat deseruisse uiam.  
 Quæq; decet Christi grauitas integra fideles,  
 Fertur in hoc constans emicuisse uiro,  
 Hinc sacra totius rexit collegia cætus,  
 Qui superis offert candida uota dijs.  
 Hic, ubi Regnesus uicino monte profectus  
 Urbis Onolsbachij floreæ prætarigat.

LIBER:

Curuat per ualles longo lapsusq; meatu  
 Fœcundat largo flumine ruris agros.  
 Imperij commendatas moderatus habenas  
 Officio nunquam defuit ille suo.  
 Omnes ergo graui crudelia fata dolore,  
 Ad quos hæc bonitas uenit amica, gemunt.  
 Hic mœsti plorant uidua cum coniuge nati,  
 Ac præbent luctus tristia signa sui.  
 Inter qui sese ciuilia bella relictos,  
 Dirum sæuus ubi Mars fremit, esse uident,  
 Esse uident miseram, sublato remige, puppim  
 In nullo tutam, qua furit unda, loco.  
 Illic incedit mæstus diademate cinctum  
 Atq; gerit nigro mastioui ordo caputi  
 Quos inter tibi conspicuo numeraris honore,  
 Præcipuaq; locum conditionis habes,  
 Vincula quod uestros animos magis arcta ligant,  
 Affiniq; tibi sociodere iunctus erat.  
 Ipse tibi pleni monumenta reliquit amoris,  
 Scilicet ingenij munera doctæ sui,  
 Quæ ualida munita feris tua continet arca,  
 Non secus, ac magnas claudit avarus opes.  
 Te rogo per sacras, cœlestia numina, Musas,  
 Per sociam nostri fœderis atq; fidem,  
 Effice ne carie pereant, sed lumine clarum  
 Protinus aspiciant liberiore diem.

CURUAS

## FVNERVVM

Debita uirtuti reddantur prœmia tantæ,  
 Nec solidæ lateat splendidus artis honor.  
 Laudibus hæc etiam reliquis accessio fiat.  
 Vt fieri iusta conditione potest.  
 Omnibus hoc in opus debes incumbere netuis,  
 Ne meriti non sit gratia plena tui.  
 Vt, quia defuncti laudes meditaris amici,  
 Non habeat precium gloria nulla suum.  
 Crede mihi, grates referet tibi maxima turba,  
 Quos iuuat harmonico musica blanda sono.  
 Quos iuuat Orpheio perrumpere Tartara cantu,  
 Duraq; desertis tollere saxa iugis.  
 Quos iuuat, ut fertur quondam Citharædus Arion,  
 Intempestiuum per mare pisce uchi,  
 Dulciq; harmonia rigidos coniungere muros,  
 Olim Thebanae quæ coiëre domus,  
 Dum pelago scopulos educit, montibus ornos  
 Amphion doctæ cognitione Lyrae,  
 Ac opus Hæmonio concentu iungit in unum,  
 Agrestes cultum tollat ut inter agros.  
 Huius curriculi laudes, Otmare, petebas,  
 Hunc pius optabas tangere posse scopum:  
 Ac metam nunc acer equus currebat ad istam  
 Raptus pernici mobilitate tuus,  
 Cum uenit in medio cursu, frenumq; retardat,  
 Falcato cultro loyraq; Parca secat.

NON

## LIBERJ

Non aliter, subito tempestas horrida uento  
 Quàm si ueliuolam sternit oborta ratem,  
 Non procul à uiso cum tortum littore funem  
 Porrigit ad siccos nautica turba locos,  
 Ac læta in patrios, emensis fluctibus, agros  
 Sperat se tutum ponere posse pedem.  
 Fallitur, & frustra uentos oppugnat, & altas  
 Expirat Ponti languida subter aquas.  
 Tam leuis humanos regit inconstantia casus,  
 Qui pede firmato se putat esse, cadit.  
 Culminis ascendit qui iam fastigia summi,  
 Adde moram parui temporis, imus erit.  
 Quæ tamen infidæ posset mutatio sortis  
 Ob nostræ ferri debilitatis onus,  
 Si nos in medio non tanquàm flore iuuentæ,  
 Obrueret subita mors uiolenta manu.  
 Cum ualidæ sano uernant in corpore uires,  
 Officium faciunt omnia membra suum.  
 Diuitiæ crescunt, magni tribuuntur honores,  
 Spargitur, & clari nominis aura uiget.  
 Omniaq; inuitant ad longæ tempora uitæ,  
 Quæ sic optata commoditate cadunt.  
 Atqui uerborum longis ambagibus utor,  
 Liberioris erit temporis iste labor.  
 Nunc igitur paucis ornata uersibus urna,  
 Quæ celebris claudit mortua membra uiri,

F 5

Finiet

FVNERVVM

Finiet inceptum defessa Camena laborem,  
 Grataq; securis ocia rebus aget:  
 Hic, ubi Mygdonio conclusa est marmore fossa,  
 Gasparis Otmar corpus inane iacet,  
 Vno quem plorant Pimpleides ore puellæ,  
 Quicq; sacro studio musica plectra colunt.

Epitaphium Sepulchro additum:

**H**Ac Gaspar iacet Otmarus tumulatus in urna,  
 Præpositus quondam clarus Onolsbachij,  
 Marchio sub miti ditione Georgius urbem  
 Brandeburgensis quam Fridericus habet.  
 Illum foelici partu produxit in orbem  
 Vrbs Amberga, suo moenia clara loco,  
 Cumq; Machaonia lenimen quæretet artis,  
 Ad muros cecidit, Noricaberga, tuos.  
 Sic homines miseri caligine uolumur atra,  
 Cum speramus opem, tristia damna nocent.

EPICEDION IN MORTEM ELI-

sabetæ Viti Amerpachij V. d. vxoris,  
 matronæ lectissimæ, scriptum  
 à Ioanne Aurpachio.

**T**Rister, et indignæ deplorem crimina mortis,  
 Quæ tua ferali corpora punxit acu,  
 Foemina præclaro lectissima nupta marito,  
 Dum tibi sub tenero corpore uita fuit.

Sive

LIBER

Sive tui potius describam comoda cursus  
 Et quàm propicio uixeris usa deo?  
 Non bene pullatis uehitur mea Musa quadrigis,  
 Tramitis insistant commodioris iter.  
 Nec tamen inuoluam tacitis tua funera chartis,  
 Quæ foret à ceopto res aliena statu.  
 Quos mihi cunq; dabit numeros occasio præcepta,  
 Narrabit casum nostra Camena tuum.  
 Quàmuis est aliquid claris genitoribus ortam  
 Te patriæ laudes posse referre tuæ:  
 Conciliat maius tamen hoc decus atq; fauorem,  
 Quod tibi præstanti laude maritus erat.  
 Heros quod tantus tua non connubia spernit,  
 Accendit tales quod tua tæda facies.  
 Res hæc signa quidem nobis certissima præbet,  
 Nullo quod fueris crimine uirgo nocens.  
 Quod fueris claris animi uirtutibus aucta,  
 Corporis et pulchris dotibus eximij.  
 Ingenuis etenim quadrant insignia, solers  
 Quid sibi conueniat cura uidere potest.  
 Virtutès animi formæ præcedere debent,  
 Corpus amans tantum nil rationis habet.  
 Infatuat mentes hominum furor ille, facitq;  
 Insanis animos luxuriare modis.  
 Certas consilij rationes turbat, et alto  
 Iudicij sensus ut remoretur, agit.

Præcipuas

## FVNERVM

*Precipuas aliqui ponunt in diuite curas  
 Dote, nec illustri se ratione regunt.  
 Telam quæ tractat, lectum curatq; mariti,  
 Hæc est cum tanto uiuere digna uiro.  
 Aurea uasa pater diues præbebit, at uxor  
 Prudens à summo mittitur illa deo.  
 Cuius deformat non uana superbia mente,  
 Quiq; graui multas crimine fastus habet.  
 Pulchros quæ mores adfert, castumq; pudorem,  
 Quamq; timor stimulat uerus, amorq; dei.  
 Legitimo carum ueneratur iure maritum,  
 Natos assidua sedulitate fouet:  
 Nec leuis in culto formæ splendore superbit,  
 Quæ res exiguo tempore tota perit.  
 Vnus quam næuus corrumpit, & arida foedant  
 Inducit maciem febris, aratq; cutem.  
 Nec, si forsân opes adduxerit ipsa, tacenti  
 Exprobrat insulsa garrulitate uiro.  
 Fœmina tormentum si diues & improba, dulci  
 Non est pars consors, auxiliumq; iugo.  
 Et quæ frenatam stabili moderamine linguam  
 Intra claustra suæ continet arcta uie.  
 Incertis prohibet spacijs excurrere mentem,  
 Audax ne partes occupet ira suas  
 Namq; perit lites, ac tristia iurgia spargit,  
 Si rectore suo lingua proterua caret.*

## LIBER:

*Et quæ dicta uiri patientius aspera perfert,  
 Nec re gerit semper, quæ tolerare potest.  
 Nititur obsequio sibi deuincire maritum,  
 Rectius & sancta conciliare fide.  
 Imbellisq; memor sexus, & sortis iniquæ  
 Miira sub tenui pectore corda gerit.  
 Cogitat inualidæ mollis quod fœmina dextræ  
 Sit data subq; manus, imperiumq; uiri.  
 Horrida quàm crebri generent fastidia morbi,  
 Difficilis partus cum labor ille uenit.  
 Hæc quæcunq; sua proponit tædia mente,  
 Non odiosa uiro, nec grauis uxor erit  
 Non sua laudabit, non se male præferet illi,  
 Sed uitæ dominum nouerit esse suæ.  
 Huius ad ingenium sese, nutumq; parabit,  
 Qui pater, & caput est rexq; decusq; domus.  
 Perpendetq; suas uirtutes esse maritum,  
 Quo sine sit uano pondere truncus iners.  
 Scilicet hæc animi culti pulcherrima dos est,  
 Hæ sunt magnificæ quas ueneramur opes.  
 Claruit his opibus, fuit hac ornataq; dote,  
 Quæ supplet nostros Elisabetha modos.  
 Hinc meruit summumq; decus, laudemq; perennem,  
 Acthalanum subiit Vite diserte tuum.  
 Quem Graiæ quondam celeberrima turba puellæ  
 Iunxissent socij sub sacra iura tori.*

Et

Dum

FVNERVM

Dum fuit in precio uirtus & gloria uera  
 Doctrinae signum nobilitatis erat.  
 O felix uxor tali coniuncta marito,  
 Qualem Boiorum nesciit ante solum:  
 Cuius nostra tacent insignes carmina laudes,  
 Nam uires nobis ingeniumq; deest.  
 Attamen hoc iusta cura pensabimus olim,  
 Nostri nec ratio non erit officij,  
 Quando mihi maior scribendi gloria crescet,  
 Inq; aliquod celeberrima Musa resurget opus.  
 Felix o nimium, tali quae facta parente  
 Mater es, & natos pignoris instar habes.  
 Si deus hoc facili tribuisset munere donum,  
 Longius & pulchrum continuasset opus.  
 Humanis etenim rebus te sustulit ille,  
 A decimo partus qui tibi primus erat.  
 Hic uarijs uenit morbis comitatus, iniquum  
 Teq; nimis longo tempore pressit onus.  
 Donec deficerent exhausti corporis artus,  
 Deserereiq; suam uita caduca domum.  
 Verum quos gemitus, quos edidit ille dolores,  
 Quem domus ingrato pondere tota premit?  
 Cuius nunc fessos humeros non parua suorum  
 Natorum grandi cura labore grauat?  
 Acres inuidiae stimulos dum spernit iniquae,  
 Ac nuti duro deuorat aure sales.

Liuor

LIBER

Liuor iners proprijs te membris attere, nil hic,  
 Crede mihi, quod te pascere possit, erit.  
 Attento siquidem spectabis lumine, forsam  
 Si cadat in tensas praeda parata plagas.  
 Sed tua de generi cruciatus pectora morbo,  
 Quas alij poenas adferis, ipse lues.  
 Inuidus alterius dum gaudet rebus iniquis,  
 Exitium damni non uidet ipse sui.  
 Squalidus obliqua tabescit febre, suisq;  
 Viribus exhaustus nescit inire uiam.  
 Et ueluti caeca correptus peste laborat,  
 Quodq; gerit uulnus, non putat esse suum.  
 Omnes hic ronchos facilis patientia uincat,  
 Quodq; dei fortis dextera fecit, amet.  
 Hec etiam duras aperit sine fraude catenas,  
 Et faciles portas carceris esse facit.  
 Hac uelut instructa superantur classe dolores,  
 Quicquid & insano pondere triste sapit.  
 Maximus hoc animus fortis testetur Iobi,  
 Quosq; alio numerat pagina sacra loco.  
 Thracius uxorem Phoebeo carmine uates  
 Eurydicen Stygijs qui reuocauit aquis,  
 Iustam non habuit causam, sed coniugis alto  
 Insuetas adiit uictus amore uias.  
 Hoc tuus at licito faceret prope iure maritus,  
 Si non obstaret cum pietate deus,

Vlla



## FVNERVM

Vlla si possent mansuescere uoce puellæ,  
 Quæ truncant auida fila caduca manu.  
 Mæstus enim dubijs in casibus esse relictum  
 Se uidet, ac tristi pectore fata gemit.  
 Scilicet in uasto quod nunc uelut æquore solus  
 Incertum faciat nauata prehensus iter,  
 Nec possit socij lenimen habere fauoris,  
 Et quæ legitimus commoda præstat amor.  
 Omnia sed constant diuinis legibus ista,  
 Quæ deus ingenti sustinet æquitate,  
 Huius ab arbitrio prorsus pendetq; caditq;  
 Humani quicquid cura laboris habet.  
 Huic permittamus, quæ nobis tristia sunt,  
 Diuinamq; æqua mente rogemus opem,  
 Quæ nos defendat, nostras regat atq; gubernet  
 Mentis arbitrij pro ratione sui.  
 Scilicet his uentis coelestia regna petuntur,  
 His benè per medias nauibus itur aquas.  
 His ita compositis remis contenditur illuc,  
 Lenis ubi rectum semita monstrat iter.  
 Nostra quod immensis affecta doloribus extra  
 Est ingressa lares Elisabeta suos:  
 Dum, ueluti pinus quassata furentibus Austris  
 Quæ non apposito pondere lassâ cadit,  
 Nullis morborum speciebus territa cessit,  
 Abiectoq; animi robore sessa ruit.

Sed

## LIBER.

Sed fuit in Christum porrecta mente, fideq;  
 Integra, donec uita superstes erat.  
 Huius in exemplo gauisi nos quoq; uita  
 Quod superest nostræ perficiamus opus.  
 Illaq; pendens claudamus tempora fati,  
 Ducamusq; pia conditione moram,  
 Ex isto donec Christus nos euocet orbe,  
 Ac locet in solij patria regna sui.  
 Hoc te summe pater deuota mente rogamus  
 Qui gerimus uera pectora plena fide.

## EIVSDEM EPITAPHIVM,

à Macro scriptum.

Q. ~~Ad candor, pietas et honor,~~ quò casta uenustus  
 Quoq; tua integritas Elisabeta ruit è  
 Clausa iaces tumulo, qui uix tua nomina prodit,  
 Et iuuat in gelido membra fouere solo.  
 Sed tamen æthernam requiem tua sustinet aura,  
 Quæ tenet astrigeræ regna beata domus.

## IN FVNERE QVODAM,

ad Sodales.

Q. Vis rogo non fletet uatis crudelia nostri  
 Fata, cohors studijs dedita Palladijs;  
 Interijt non Musarum nunc maxima solum  
 Gloria, sed penitus lingua latina filet.  
 Hanc docuit puram facundo cultius ore,  
 Quam ueteres olim maxima Roma tui.

G

O quoties

FVNERVM

O quoties mecum tacita sum uoce locutus:  
 Fallor, an est præsens Tullius ipse mihi?  
 Verum iam nostras cum fama uolasset ad aures  
 Debita te fati persoluisse tui:  
 Heu uexata graui præcordia nostra dolore  
 Aspera sub tristi pectore fata gemunt.  
 Vnus eras, dulci quem complectebam amore,  
 Quemq; sequebatur nostra Thalia ducem.  
 Quando tibi placuit, iucundum carmen habebas,  
 Suauiter & nullo uerba ligata pede.  
 Diuitis & pleno sonuisti flumine lingue,  
 Ut Latij quondam turba disertæ fori.  
 Non igitur solus doleo, non carmine solus  
 Funus inornato prosequor ipse tuum.  
 Mæstus te queritur pullato uertice Phœbus,  
 Concinit & rauca nil nisi triste lyra.  
 Turbaq; sacrarum penitus gemebunda sororum  
 In fati iaciunt crimina multa Deas.  
 Quod fuerint ausæ tua filia secare procaces.  
 Nec possint fufis induperare suis.  
 Quisq; nigro te, si posset, reuocaret ab Orco,  
 Atq; tuas ferret fata suprema uices.  
 Nemo, nisi celeres inimico numine Parcæ,  
 Nunc uoluit cineres ergo uidere tuos.  
 Ferreus est igitur, quem non hæc funera, tristes  
 Ut nocēs querulo fundat ab ore, mouent.

Epitaphium

LIBER:

Epitaphium Caroli Fabri

Carolus loquitur.

**C**ur te diuitiæ faciunt, & forma superbam,  
 Cur generis iactas nobile stemma tui?  
 Omnia momento pereunt, cum tempus & hora,  
 Qua deus ex isto nos uocat orbe, uenit.  
 Testor, quod uero testari carmine possum,  
 Fati iam passus uimq; manusq; mei.

Epitaphium Iodoci Neitardi,

**H**ic iacet à subita correptus morte Iodocus  
 Ex Neitardiæ filius ortus auis.  
 Quem non ingenij iuuerunt munera culti,  
 Et clarum celebri nobilitate genus.  
 Atropos in grato truncauit stamina cursu,  
 Cum uitæ medium dulcis adiret iter.  
 Sic humana ruit cliuosa uita ruina,  
 Desinimus parua, quod sumus, esse mora.

Epitaphium Michaëlis Riederi,

**C**ur tua non largo deplorem funera fletu,  
 Præceptor lachrymis sepe uocate meis?  
 Qui tot continuis formasti mensibus annos  
 Ingenium doctæ semper in arte meum,  
 Cum tamen hoc pietas exposcat candida nostræ  
 Mentis, & ingenuæ dextera fama notæ.  
 Testantes rectum ueræ pietatis amorem  
 Subdimus hoc tumulo distichon ergo tuos

G A Mi

FNERVVM

Mi deus æthernam requiem da manibus, huius

Quos lapidis clausos parua sepulchra tegunt.

Epitaphium Volfgangi Gualti.

**H**ic tumulata iacent Volfgangi membra Gualti,

Qui coluit pura religione deum.  
Immunem turpi traduxit crimine uitam,

Omnia cum summa dexteritate gerens.

Molliter exacto uitæq; tenore quieuit,

Hæc nec instantis mortis acerba fuit.

Epitaphium Elisabetæ Hartungæ.

**M**olliter hoc paruo moriens Hartungia proles

Elisabeta solo contumulata iacet.

Quæ teneris à carniuora correpta sub annis

Morte ruit in stros præueniente dies.

Et cum cœpisset lenimen adesse parenti,

In curis matri gaudia ferre suæ.

Dum fratres prius exhilarat, dum gloria fertur

Ipsa Hartungiacæ magna futura domus.

Protinus appropereat rapido mors pallida gressu,

Et dulcis uitæ stamina parua secat.

Viuere Nestores & cum potuisset in annos,

Et uirtute sua, diuitijsq; patris,

Iræ antè tamen Parcarum sensit acerbæ,

Quam reliqua est iustæ meta peracta uie.

Liuidulos oculos igitur mors inuida pasce,

Quæq; tibi, curua demcte falce, placent.

LIBER:

Si claræ decus hoc rapuisti nobile gentis,

Ac tua mortalis spicula nemo fugit.

Hunc uero lapidem qui transis cunq; uiator,

Puro dic animo: parua puella uale.

Epitaphium Petri Apiani.

**H**umida cur sicco strophio sic lumina terges

Qui facis hæc inter saxa uiator iter:

Quantumuis inter mortales desinat esse,

Non moritur, cuius splendida fama uiget.

Alta colorati conscendit sidera cœli,

Vt uideat quicquid calluit arte prius.

Epitaphium Andree Masaueri.

**H**ic Masaueri iacet fatali cuspide fossus,

Nec tua te probitas inuit, amorq; dei.

Nec pia sedulitas & strenua cura, superni

Inuestigasti qua monumenta patris,

Summum ascendisti plenaq; indagine cœlum,

Explorans alto sidera pulchra gradu.

Omnia sic paruo mortalia tempore constant,

Nil est immenso quod stet in orbe diu.

Epitaphium Tauri.

**N**on bos extinctus iacet hæc, sed Taurus in urna,

Hoc illi nomen patria turba dedit.

Vixit, dum deus hanc uitam concessit & auram,

Liber ab impuro crimine, labe, nota.

FVNERVM

Cognati mortem lugent, perculsaq; talli  
Omnis amicorum funere turba dolet.

Epitaphium puellae sponsae.

**P**ylchra sub hoc parui quod clauditur aggere busti  
Sponsa maritalem non uenerata torum.  
Inuida non uoluit concedere Parca, suauis

Dulcis gustaret gaudia conjugij.

Epitaphium Christophori Hartungi pueri.

**C**hristophorus iacet hic nostro de more sepultus  
Ex Hartungiaca nobile gente decus.

Quem tristi rapuit mors immatura furore,

Vix compleuisset cum duo lustra puer.

Indolis atq; suae cum spem praebere abundam

Ingenioq; suos exhilararet auos.

Eheu duritiam fati superare maligni

Non potuit, cunctos quod rapit, atq; necat.

Quare non Atropos crudelia fata cohercescunt

Paruo quid puero dulcisa fila secas?

Qui uirtute sua multos potuisset in annos

Non sine praestantis uiuere laude uiri.

Tristes in luctu iam sunt ingente parentes,

Omnes cognati fata suprema dolent.

Ipse capit uero nunc gaudia magna beatus,

Angelicos inter uiuit, ouatq; choros.

De morte Macer ad M. Barnabam Vuenzenburgium,

LIBER

**C**ur lachrymis hominū gaudes ter pessima Clotho?  
Cur tibi perpetuo basta furore placent?

Irrita disturbas florentis flamina uitae,

Conteris et rigida pendula fila manu.

Iam nāga discurris, uitae iam tendis ad hostes,

Omnia, ceu quondam Pergama, strata cupis.

Nullaq; uiuendi remanet spes longius, ergo

Rumpuntur Pylis tempora longa senis.

Propterea merito communi nomine Parca

Diceres, et nostri temporis esse tenax.

Crudelis nimium, quia nulli parcis, honores

Reiicis, et summas tetrica diuitias.

Omnia sustollis, spemq; moresq; decusq;

Pauper cum Croco dicitur Caesaris obit.

Nec sola es Clotho, Nemesis quoq; caecida iurans

Aduenit, ac mortis punit acerba reum.

Hinc nihil est aliud, nisi moestum, flebile, durum,

Semper et immenso luctus in orbe manet.

Aestas nunc cruciat, pestis, nunc frigus, egestas,

Nunc labor, et morbus, funera, bella, fames.

Eheu quam uaria est hominum fortuna, bonumq;

Quam cito mutatur, quod prius illud erat

Non secus ac tristi rugientis tempore Bruma

Turgida cum rigido turbine bulla cadit.

Mens tamen imperio, quam captas, subdita non est,

Aetherno uiuit non moritura deo.

FVNERVVM LIBER

*Viuit in Empyreis ubi Titan lumine stellis  
Fulget, in angelicis atq; beata thronis.  
Iucundo fruitur folio, non moesta, nec ira  
Ardens, nec rabido pulsa furore fremit.  
Non unquam moritur, supera qui uiuit in arce,  
Perpetua ducit stamina Parca colo.  
Vermibus ossa soli donemus putrida matris,  
Vt quod principio protulit, excipiat.  
Ast animam supero cuncta mittemus Olympo,  
Quam propria saluet Christus Iesus ope.  
Omnes spargamus lachrymas ob crimina tandem,  
Tundamusq; graui ferrea corda manu,  
Peccata assiduo desidentes acta dolore,  
Si modò coelorum gaudia pectus amat.  
Sic monitus Christo carissime uiue sodalis,  
Donec ad extremum stamina Parca trahat.*

Epitaphium Ioannis Macri parentis,

**P**utrescit teneris qui me educauit ab annis  
Perpessus longè tristia fata pater.  
Christo complacuit noctesq; diesq; precando,  
Cui commissa diu dupla talenta dedit.  
Contegit ergo solum cineres, at sidera manes  
Illustrant uitæ post mala fata suæ.

Funerum libri finis,

IOANNES

IOANNES AVRPA

CHVS NOBILIS ET OR

nato viro Georgio Roschio

Secretario regio.

S. D.



VAM TE COLAM, QUAN-  
to amore iucundissimam illam mo-  
rum tuorū elegantiam, Roschi vir  
ornatissime, prosequar, tam est mi-  
hi difficile dictu, quam facile a te  
credi non potest. Enimvero cum primum Qeni-  
pontem venissem, ac essem paulo post ad collo-  
quium tuum vocatus, huiusmodi potui deinceps  
consuetudine tua saturari. Quod ego planè mihi  
ex eo accidisse arbitror, quod etiam tui erga me  
amoris non leuia signa perspiciebam, cum vide-  
rem te nescio qua vel animi, vel ingenij mei libe-  
ralitate illectum, me hominem adolescentem, &  
parum eo tempore, qui cum tantis viris, quantus  
es tu, conuersaretur, idoneum subinde in ædes  
tuas vocare, mecumq; varijs de rebus colloqui  
familiariter sanè, ac ita vt cum ijs, qui longè me  
& ætate, & officio superabant, solebas. Quæ res  
postea, quam à vobis huc essem profectus tan-  
topere animum affecit meum, vt quiescere tan-  
tis per non posset, donec aliquo clariore pignore  
gratum se tibi explicaret. Ego verò cum nihil  
G 5 habere

haberem hoc tempore, quod rectè ad te mittere  
possem, libellum hunc Epigrammatum tibi des-  
dicare volui, quem, dum vobiscum eram, ex ma-  
gna parte confeci. Spero autem te boni confultus  
rum esse hoc meum officium, & versus etiam le-  
uiore, exilioresq; si qui sunt in hoc libello, æquo  
animo lecturum, quod illo tempore admodum  
adolescens fuerim, nec solido adhuc robore fir-  
matam scribendi rationem habuerim. Alii qui  
aut sciolii, aut alioqui non candido iudicio sunt,  
mihi parum negotij faciunt. Etenim illis nondum  
explicita sunt ea, quæ mihi quasi manus inces-  
serunt, & penitus, vt hæc poemata emitterem, co-  
gerunt. Quæ si cognouissent, neminem esse posse  
ex toto grege illo tam impudentem, aut maledi-  
cum puto, qui mihi non sit, vltro veniam datu-  
rus. Sed hæc missa faciamus, Roeschi. Nam satis  
ex animi sententia rem totam cessisse mihi  
arbitror, si & voluntatem tibi me-  
am, & ipsos versiculos placuisse  
cognoueris. Vale, meq; vt  
facis, amia. Ingolstadtj

Idibus Aprilis.

anno dñi

1554.

Ioannic

## IOANNIS AVR PACHII

ALTANI EPIGRAMMA

tum liber, ad Georgium Roes-  
schium Secretarium  
regium.

Ad Deum.

**C**ynthius emenso fugiens Chironis ab arcu  
Vrnigero socios, addere gaudet equos.  
Aspera discedunt horrendæ frigora Brumæ,  
Ac redit æstiuo pulchra decore dies.

Adnoperant culti letissima tempora ueris.

Et sic ille casu labitur ueris hyems.

Mi deus, immenso cœlum qui numine complex,

Ac etiam hoc spirat quicquid in orbe, regis:

Fac ut cum pulchro redeat concordia nobis

Tempore, sit studijs pax, & amica quies:

Vt uelut ille noui procedens temporis ordo

Hæc, tu quam poteris ferre, iuuetur ope.

Ad Iacobum Fuggerum Restorem.

**Q**uis non ad summos natam te credat honores,

Et magnis aptare rebus habere manum?

Cum forti dextra regalia sceptrâ gubernes,

Nec tria sint uitæ lustra peracta tuæ.

Non sine conspicuo fiunt hæc omnia signo,

Crede mihi, rebus talibus omen adest.

Cum

EPIGRAMMATVM

Cum solidos olim benè confirmaueris annos,  
 Maioris regni tradita sceptrâ geres.

Ad Abrahamum Læscherum.

**Q**ui cupit Aecolæ sublimes Hellados arces  
 Visere, uel solo te præeunte potest.

Expaciatus enim per agros, camposq; Pelasgos.

Quæ sunt ex ipsis fontibus orta doces.

Clarum nomen habes, sed fiet clarius, edes.

Cum plures doctâ sedulitate libros.

Ad Georgium Theandrum.

Sacra dei monumenta doces, & dogmata Christi,

Nomen conueniens ergo Theander habes.

Ad librum Macro donatum.

**P**arue liber nostros ita iussus linque penates,  
 Post mihi non ullo tempore seruus eris.

Sed nec liber eris, quanquam discrimine nullo.

Nominis infausti diceris esse liber.

Syllaba quodâ minimam tibi corripit unica partem,

Hac solum pateris conditione miser.

Sæpe reluctantem credo te cogere partem,

Fiat ut è celeri syllaba longa mora.

Omnis at insumpti uanescit cura laboris,

Crède mihi, nullo tempore liber eris.

Ergo, bonis auibus, notissima limina Macri,

Illic perpetuo serue future, subi.

Ad Stephanum Hagerum.

LIBER.

**O**mibus eximiam tãâ significare uidetur  
 Virtutem! facies, & generosus honor,

Quiq; tuis micat ex oculis, uultuq; benigno

Cum solido cultu mixtus, Hagerè, pudor.

Huc suaues etiam accedunt ante omnia mores,

Qui sunt ingenii portio magna status.

Quicquid agis uerum candorem respicis, & quæ

Simplex integritas postulat, illa facis.

Recti uerus amor, pietas te sancta fatigat,

Nec tibi fortunæ putida dona placent.

Scilicet hæc nostrum tibi conciliauit amorem

Causa, quod insolito carmina more uides.

Quæ tamen accepto si sumas munere, posthac

Accipies nostri sæpe fauoris opes.

Perge modo, turpi nec pollue crimine mentem,

Conseruaq; dedit quæ tibi dona deus.

Ad Ioannem Eppingerum.

**V**idimus ad tepidum tibi carmina missa cubile,  
 Ac te felicem diximus esse nimis:

Sed tamen ut fieres hora felicior ista,

Hæc mandata meis uersibus ipse dedi:

Currite uicinas ad amici protinus ædes,

Cuius adhuc mollis corpora lectus habet.

Non tamen agresti clamore repellite somnum,

Stare sed ad mensam non titubante pede.

EPIGRAMMATVM

Vt, cum fessa graui releuabit membra sopore,  
A binis habeat carmina scripta uiris.

Ad B. Eſtrorum.

**P**romiſſam nobis hodie uult ſoluere coenans  
Polliciti Magnus pro ratione ſui.  
Ventre famem tibi ieiuno ſic contrahes, lautos  
Vt poſſis auida fauce uorare bolos.  
Arida ſinitq; tui laxata foramina colli,  
Multos ut poſſis euacuare ſcyphos.  
Omnia ſunt cura nam ſic inſtructa celebri,  
Vt nihil ex omni parte deeſſe putem.  
Nobiſcum quoq; noſter erit conuiua ſatelles,  
Maxima qui uaſta corpora mole gerit.  
Ergo ſubi noſtras non tardis paſſibus ædes,  
Quinta fatigatam cum trahet hora diem.

Ad Volfgangum Iēnpacherum!

**Q**uarta tibi paucos non clauſit Olympias annos,  
Nec malas ueſit barba ſecunda tuas.  
Haud tamen ulla fugit te diſciplina peritum,  
In lingua plures uincis utraq; uiros.  
Aut igitur quondam ſuperabis doctior omnes,  
Aut es, quod nolim, præcocis ingenij.

In Petrum quendam.

Lenum Petre uocas corrupto nomine uinum,  
Dignus es ut nunquam lenia uina bibas.

LIBER!

De ignauro cuiuſdam adoleſcentis canem

**D**icris egregio dare pabula larga melampo,  
Ingentiq; tuum tollere laude canem,  
Qui tamen occulto uix poſſit ſolus in antro  
Difficili nimium mole iacere piger,  
Et uix in molli puluino ſtertere, ſecum  
Poſtremumq; graui ferre labore pedem,  
Ac ſolum dapibus, menſisq; inhiare gulofis,  
Oſſaq; ſub ſcammis rodere dura tuis,  
Crede mihi, inſidias illius tuta uolucris  
Non timet, ex nido nec fugit illa ſuo.  
Auritos lepores uenari forſitan optas?  
Eſt opus alterius ſtrenuitate canis.  
Ergo, quid paſcis, moneo dic uera roganti,  
Ignauum tanta ſedulitate canem?  
Quod tua non potius Meliteos aula catellos  
Nutrit, res ſigno non caret iſta ſuo.

Ad Blaſium Stamlerum.

**E**tſi non longo nobis es cognitus uſu,  
Attamen ingenium me puto noſſe tuum;  
ſcilicet ingenuo, Blaſi, candore referunt,  
Quod ſimulet nullos, diſimuletq; dolos.  
In noſtris ergo numerabere ſemper amicis,  
Dulcia dum uitæ ſtamina Parca trahet.

Ad Viſerum.

**S**plendida præclaris debentur præmia factis,  
Grandia non meritis munera, parua capit.



EPIGRAMMATVM

Sic tibi ludus heri vulgata constitit arte,  
 Non igitur magni dona laboris habe.  
 Maius opus, vilferre, graui conamine tenta,  
 Plenâq; maiori munere dona feres.

Ad Macrum.

**B**Alnea loturi tepido sudore perunctum  
 Corpus ad illimes ingrediemur aquas.  
 Quæso ueni nostras, si fortè uacabit, in ædes,  
 Post decimum dantur cum duo signa sonum.  
 Plurima nos tecum uarijs de rebus agemus,  
 Squalida dum uili membra lauamus aqua.  
 Dum nos à sacro pendemus Apolline nacti.  
 Nomina quo simus non moritura modo.

Ad Ioannem Puchentalerum.

**A**Nxius in molles uolui deducere uersus  
 Apposita nomen cum grauitate tuum.  
 In quasquas autem torquebam carmina partes,  
 Fiebant posito nomine praua tuo.  
 Aspice, quid studio tentarim prorsus inepto,  
 Ut posses Musæ castra subire mee.  
 Reddidimus sermone magis tolerabile Graio,  
 Aptius in molli posset ut esse metro.  
 Quisquis enim duro deformat pondere carmen,  
 Huic malè propicias auguror esse deas.  
 Ergo salutatus conuerso nominis ortu  
 Posthac quicquid diceris esse mihi.

LIBER.

De saltu equi Getici.

**Q**uisquis Pegasus miratur fortè uolatus;  
 Mirari dubio desinet ille procul,  
 Si bene Menalio considerat esse caballo  
 Auxilium sine quo nemo uolare potest,  
 Sic uidet saltum, Geticus quem poplite laxo  
 Fecit equus, digno res memoranda modo.  
 Pernices habuit diuinus Pegasus alas,  
 Præditus Aonijs uiribus atq; fuit.  
 Hic equus alarum nullo conamine fretus  
 Vel ceruum saltu uinceret ærium.  
 Viginti bis quinq; pedes, tres abstrahere tantum,  
 Saltauit, certa res ea plena fide.  
 Heu infelicis pueri tristissima fata,  
 Dum malè fortis equi colla superba regit,  
 Ipse re percussus ualido uehementer ab ictu  
 Decidit, hic uitam perdidit atq; suam.

Ad tres amicos.

**T**ernus perfecto numerus uos ordine iunxit,  
 Verum si uobis quartus adesse queam,  
 Linea fatales abrumpant fila sorores,  
 Ut cadat obscuro nomine uita mihi:  
 Si non hic fiat numerus perfectior illo,  
 Quilibet ex uobis arbiter esse potest.

EPIGRAMMATVM

In Iōnam ab Elfrero versum.

**Q**ui latuit ternos occulto corpore soles  
Sub rabie uasti semper hiante maris.  
Prodiit in lucem uates diuinus Iōnas,  
Scilicet excelsus sic uolente deo.

Prodiit ex piscis monstroso uentri marini,  
Viscera tres cuius presserat ampla dies.  
Redditus est luci, sed quem non quisq; uideret,  
Ni foret ingenij uena diserta tui.

Illustras uersu sacrum durante prophetam,  
Ut fiat clarus, quam fuit ante, magis.  
Sedulus in sanctis ita perge laboribus esse,  
Si cupias ipsi forte placere Deo.

Ac ita conspicue laudis tibi gloria surget,  
Inq; breui uates tempore magnus eris.

Ad Ioachimū Decium.

**S**i placet, atq; potes non magnum perdere tempus  
Cum tibi non noto, mi Ioachime, uiros:  
Ad me uicinas huc uade rogatus in aedes,  
Sumptus, quem facies, non ita magnus erit.

De Phocione Atheniensis.

**P**hociō orator, quæ dixerat, omnia uulgo  
Cum placuisse tui uerba uideret, ait.  
An mala fortassis non cauto diximus ore?  
Vulgi credebatur uana probare gregem.

Ad Magnum Pairerum.

LIBER.

**Q**ui canit harmonico non rauca per organa lusu.  
Nos ista forsā uisere nocte negat,  
Symposiumq; parat nostrum differre morando,  
Dignus ut hybernas aestuet inter aquas.

Ergo quid facimus? Num talis homuncio nostras,  
Efficit, ut fauces urat auara sitis?

Quin age, uade puer, timeat Marcarius ab ictu  
Quo tenues pulsas officiose fores.

Quæq; tenent clausis meliorem dolia Bacchum  
Visceribus, Celeres huc age uerte manus.

In Audacium.

**O**ccurris quoties, Audaci pallide, nobis,  
Talia sublato gutture uerba refers:  
Quid fugitas nostros Aurpachi quæso penates?  
Nec me consueto more frequenter adis?

Inuitus causam dico, sed si cupis, audi:

Non possum mutos ante sedere uiros.

In Petrum.

**P**etre, tibi quoties contingit adire peritos,  
Et tamen ingrata commoditate, uiros,  
Mutus ab ocluso non audes reddere uerba  
Ore, sed attonito stas tremebunde pede.

Herculeo tanquam concussus pectora morbo

Qui iacet obnixo poplite pronus humi.  
Fortè times, aliam non possum dicere causam,  
Ne prodant mores barbara lingua tuos.

EPIGRAMMATVM

De Poëta ebrio:

**E**Brius exibat quodam à caupone poëta,  
 Edebatq; truces uoce rudente sonos.  
 Accurrit miles, magnoq; ita uerberat ictu,  
 Substratum prono tangat ac ore solum.  
 Nulla fero cum Marte pijs commercia Musis:  
 Aonio surgens flumine mersus ait.

Ad Macrum.

**C**Ras ubi iam lotum referet sol æquore currum,  
 Et ueniet pulsa nocte serena dies,  
 In patriam caros uisurus abibo parentes,  
 Et Meccenates quos amo, quosq; colo.  
 Accipe sed gratam, dulcis Macer, ante salutem,  
 Quam properans mittit nostra Camæna tibi.  
 Intereaq; uelis cari meminisse sodalis,  
 Qui te fraterno pectore fidus amat.  
 Prospera si facili cursu me fata reducent,  
 Perspicias animi plurima signa mei.

Ad Ioannem Freislebium

Hæc tibi conueniunt, Freislebi, nomina belle,  
 Nam decet ingenios libera uita uiros.

Ad Neptunum pro amico,

**Q**ui dubias iras pelagi, uastosq; seueros,  
 Magne pater, fluctus comprimis imperio:  
 Sive colis Ponti translucida regna profundi,  
 Altisonum superis quæ mare stagnat aquis,

LIBER:

Sive tenebrosos disulcas nauibus amnes,  
 Pallida quæ Stygijs innatat unda locis,  
 Picria nobis iam dudum uoce rogatus,  
 Dexter inoffenso numine quæso ueni.  
 Phegæus properat regiones noster in illas,  
 Phœbus ubi croceis surgit obortus equis.  
 Iamq; suum rapidis commisit fluctibus Istri  
 Corpus, in Eëos quæ fluit ille sinus.  
 Quæso per auratum, quod terræ omnia, sceptrum,  
 Ac trifidum capitis per aiadema tui.  
 Aeolio cohibe luctantæ carcere uentos,  
 Neratis uersu concidat icta noto.  
 Sic ego festiuis peragam tibi sacra diebus,  
 Ornaboq; aras thuris honore tuas.

De diuinatore quodam

**V**ates in populo stabat scurrilis, et amplum  
 Implebat uana garrulitate forum:  
 Cum sua credenti prædiceret omina uulgo,  
 Et quàm sint cuius prospera fata libet.  
 Accessit quidam referens: Heu maxima, uates,  
 Flamma tuam superat, curre repente, domum.  
 Scurra suas pede præcipiti defertur ad ædes,  
 Quodq; alter uerum dixerat, esse uidet.  
 Protinus exclamant omnes, sultissime uates  
 Diuinas alijs, nescius ipse tui.

Ad Vinitorem:

EPIGRAMMATVM

Si tibi sic esset facilis prudentia cordi,  
Possidet ut pectus blanda Sophia tuum.  
Viueret in toto uix te sapientior orbe,  
Cum sic in fatuo pectore corda geras.

In Petrum.

**T**E quod, Petre, uocas assumpto nomine eotem,  
Non miror, causam res habet ista suam  
Non plumbum, non truncus iners, non hispida cautes,  
Petre, sed es saxo durior, & silice.  
Non animos acuis pueroꝝ quippe tenellos,  
Officio ut ferrum cos bene hinc suo.  
Verum barbarici confundis pondere coeni.  
Vt frumenta terit mollia dura silex.

Ad Ioannem Langum

**A**Rdenti peragrât terras dum Sirius astro,  
Atq; dies coeptum longior auget opus,  
Sedula non ulli parcit formica labori,  
Parua nutrimentum conuehit ore suum.  
Ne priuata suo tabescant corpora pastu,  
Cum duros arctant frigora crassa dies  
Si cupis ergo tuæ consultum, Lange, senectæ,  
Hoc animal gnara sedulitate refer.

Ad Estreum.

**F**essos nuper equos cum Phoebus mergere uellet,  
Luceq; corrueret deficiente dies.

Ad

LIBER:

Ad gelidum uitrei spaciati flumen Oëni  
Contulimus uarijs plurima uerba modis,  
Inter quæ memini forsân te dicere nobis:  
Cras mittam dono carmina nostra tibi.  
Ergo sit effectus promissio uera sequaci,  
Te rogo per dextram, Bartolomæe, fidem.  
Expecto siquidem cupido tua munera plausu,  
Forsân erunt omni nectare grata magis.  
Nec faciam nostra de sedulitate queraris,  
Si modò tantillum nostræ thalia potest.  
De uirtute, ac potentia,

**N**Am quid moliris uesana potentia pectus  
Frangere, quod solido robore forte sapit?  
Omnia uirtuti sacre molimina cedunt,  
Nil est matura calliditate prius.

Ad Canniam.

**O**Mnibus officijs ignotum, Cannia, tractas,  
Quid facies tandem, si tibi notus ero?

Ad Dummigerum.

**S**æua paludosis indicens prælia ranis  
Garrula dum saxo, Dummiger, ore petis.  
Aureus in putridas tibi decidit annulus undas,  
Ornarat digitos qui tibi forte tuos.  
Ergo etiam ranas, quo se tueantur, habere  
Quiddam, quantumuis corpora parua, puta.

H 4 Disce

EPIGRAMMATVM

Disce quod, iniustus alium qui suppressit armis  
Fortior, exitij causa sit ille sui.

Posthac annosos ceruos uenare, uel ursos,  
Vel strue squamosis piscibus insidias,  
Vocaliq; citos lepores clamore fatiga,  
Impleat ut casses præda benigna tuos.

Ad Volf. Iēnpacherum.

**E**xiguum, Volgange, tui si munus amici  
Non tumida forsan spernere mente soles,  
Vade meas hodie conuiuia rogatus in ædes,  
Tertia cum fessum iam trahet hora diem.

Sed non regali sumes conuiuia luxu,  
Esuriem prunis exaturabo tuam.

Viq; Aurrachiace possessio parua crumene  
Concedet, prunis addita poma scias.

Ergo ueni, quosdamq; tibi coniunge sodales,  
Hunc, nostrum fluuiio qui sine nomen habet.

Quiq; saum ornabat munus sermone disertio,  
Quemq; leuis dixi ponderis esse uirum.

Et quem, sed falso dixisti nomine nostrum  
Cognatum, fiant uincula uera precor.

Ad Macrum, Iocus.

**I**nsulos, quare tractamus, quaeso, libellos,  
Care Macer? cur nos Pieris ulla iuuat?  
Cur placet infausto Musarum nomine catus?  
Cur teris in studijs tempus, inepte, tuis?

Phœbeæ

LIBER.

Phœbeæ ualeant cum prorsus Apolline Diæ,  
Palladij abeat tota corona chori.

Festa celebremus uasani mollia Bacchi,  
Et libeat Bromio sacrificare patri.

Pro Musis Veneres, pro Phœbeo numina Fauni  
Adsint, pro docta tympana rauca chely.

Seu nos iucundis iuuet indulgere choræis,  
In medio stultos currere siue foro.

Et sic uiuamus, ne Bacchanalia quisquam  
Nos uixisse bona mente negare queat.

Ad Ioannem Gollerum.

**Q**uod tibi sollicitas pariunt præsepia curas,  
Non miramur, ibi pulchra puella sedet.  
Si reliquis aliud non in præsepibus esset  
Fœnum; bos etiam protinus esse uelim.

Ad Michaëlem Echamerum.

**T**e quoq; delectant præsepia culta, Michaël,  
Quamuis non habeas cornua longa bouis.  
Verum non dubito, modo si permiserit alter,  
Quin bos, sicut ego, protinus esse uelis.

Ad Estreum.

**H**esterni potu nimio madefactus Iacchi  
Vix possum dubio languidus ire gradu.  
Vix hodie potui plumis è mollibus ægrum,  
Et media iam iam tollere luce caput.

H 5 Credo

EPIGRAMMATVM

Credo quidem languescenti plus mille cerebro  
Cyclopes uastæ molis inesse meo.

Sic omnes nutant immenso pondere sensus,  
Ac, uelut in magno gurgite cymba, natant  
Nec fieri possum sanus, nisi ueneris ipse  
Huic capiti faciles imposture manus.

In decipulam Ottonis.

**A**vcupis ille ctat stultas uox blanda uolucres,  
In propriam ut cladem, perniciemq; ruant,  
Sic & adulator nostros euertere sensus  
Conaris molli, putide scurra, sono,  
Ut tibi si quisquam faciles accommodet aures,  
In proprium fatuus corruat exitium.

De inepto scripto proposito.

**H**esternæ quidam merdosus luce poeta  
Scripserat indocta carmina stulta manu,  
Atra quibus foedi conspurces dæmonis ora,  
In uatum numero setamen esse putat,  
Indignoq; uirum condemnat crimine, cuius  
Non olidas esset pascere dignus oues.  
Huic ego nil opto grauius, quam tempore longo  
Hac mendicatum querat ut arte cibum.

In Vlricum Langum.

**C**Vm totam curris gustatum uina per urbem  
Non quereris lassos, ebrie Lange, pedes.

As

LIBER

As tibi concedis uenerandi limina templi,  
Crure ferè exhaustus deficiente cadis.

In Petrum.

**D**iuinum iam nomen habes sex lustra poeta,  
Ac nullam nosti scandere uersiculum.  
Aut habuit nullos id tempus fortè poetas,  
Petre, uel impostor maximus esse soles.  
Illa sed eximios habuerunt secula uates,  
Ergo, quod extremum ponitur, esse soles.

Ad Carolum Reichel.

**V**itis, & ingentem uicisti, Carole, pugnam?  
Tantas mirarer te superasse minas,  
Illa nisi gnones arguta uerba tenerem:  
Qui multum latrant, nolite nocere canes.

Ad Albertum principem

**B**ellax dum trucibus Germania disidet armis,  
Omnibus atq; sonant tympana rauca locis,  
Boariae latos fines in pace gubernas,  
Et securæ tuus tempora ciuis habet.  
Crudeli defende pias à milite Nymphas,  
Clarius Augusti nomine nomen cris.

Ad Estherum.

**V**Nica, sed peruersa diu me syllaba torfit,  
Cuius me ratio nunc quoq; parua latet.  
Nos autem non turbabit res amplius ista,  
Seu pagella uelis, siue pagella, placet.

Ad

EPIGRAMMATVM

Ad Streiblium.

**N**ostrarum queris pernoſſe negocia rerum,  
 Quam dura uitæ conditione premar.  
 Succellus nobis an ſit ſpes ulla futuri,  
 Vis noſtro fieri certior indicio.

In patriam caros abeam uiſurus amicos,  
 Cum referet lotos æquore Phoebus equos.  
 Magna tenet noſtram, Streibli, fiducia mentem,  
 Fortuna ſpero proſperiore frui.  
 Auxilium modò Chriſte tuum ſanctiſſime præſta,  
 Nullum quo ſine nos incipiemus opus.  
 Interea ueteris non immemor eſto ſodalis,  
 Qui te Germani nomine fratris habet.

Ad Viſerum.

**M**itto uictori præcium, palmanq; relinquo,  
 Quam tibi pugna leui parua labore dedit.  
 Taxilli recto tibi cedunt ordine ſemper,  
 Infelixq; mea calculus arte cadit.  
 Verum ſi quid adhuc ſauſto certamine ſperas,  
 Nobiſcum dubias experiare uices.  
 Non ſemper tibi monſtrabit Rhamnusia uultum,  
 Quo fortunatos inſpicit illa uiros.  
 Ne ſic exultes uictoris nomine poſthac  
 Efficiam dextræ ſtrenuitate meæ.  
 Quisq; enim, Viſere, iacit ſua ſpicula crebro,  
 Iunonem certa ſcdulus arte iacit.

De

LIBER.

De nuptijs Caſpari Chemnateri,  
 & Martæ vxoris.

**C**andida legitimo iunxit uos ordine uirtus,  
 MARTIUS à uobis ſit procul ergo furor.  
 SPARGITE perpetuum dilecti ſemen amoris,  
 TALI ſidereas ſcandimus arte domos.  
 De Herillo, & Leliano.

Fortè ſuum Meccenatem te dixit Herillus,  
 Verum eſt, Meccenas es Leliæne ſuum.  
 De duobus ſenatoribus vna nocte  
 mortuis, ad conſulem eorū.

**V**na ſenatores inſauſto ſideris ortu  
 Eripuit conſul nox uenerande duos.  
 Tantas ueſtra gerit forſan reſpublica cauſas,  
 Vnius ut nequeat ſoluere cura uiri.  
 Præteriti reddent rationem temporis iſti,  
 Tu, que ſunt poſthac ergo futura, uide.  
 Ad Iandrium.

**S**ualentes hodie loturi corporis artus,  
 Balnea trans nigras ingrediemur aquas.  
 Si bene ferre potes iacturam temporis huius,  
 Ad me feſtino curre repente gradu.  
 Ad Chriſtophorum Heipergerum.

**P**æonias diſcis ſectator ſtrenuus artes,  
 Adq; arcem recta tendis Apollineam.  
 Non uaga conſcendis dubij ueſtigia curſus,  
 Quoq; patet rectum tramite, pergis, iter.

Nempe

## EPIGRAMMATVM

Nempe colis celebres doctis congressibus actus,  
In quibus à uera cernitur arte dolus.  
Ergo Machaonia quondam fulgebis in arce,  
Sint modo non uitæ tempora parua tuæ.

Ad Constantinum Silesium.

**E**gregium quod sacra tibi constantia nomen  
Imponit, meriti fit ratione tui.  
Defendis Christi constanter ouile relictum,  
Atq; deum pura religione colis.  
Quodq; nec in falso circumfers pectore fraudes,  
Efficat hoc animi uis generosa tui.

In Maximianum.

**D**esformem tanto quod amas ardore puellam,  
Stultus ob hoc dici, Maximiane, nequis.  
Lumine priuauit nam te natura sinistro,  
Excusit dextrum perfidiosus amor.

Ad Iacobum Luderum.

**Q**uam ueniet primum uestram Vulteiis in urbem,  
Fac illum studio feruidiore colas  
Illum suspicias doctrine protinus ergo,  
Qua gerit ingenuo pectora culta modo.  
Est nemo, Ludere, uelim uestigia cuius  
Te semper tanta religione sequi.  
Non etenim solum præclaras imbibit artes,  
Ingenij mira sed probitate ualet.

## LIBER

Debet syncera tibi mente probatus haberi,

De liquida cuius non dubitabo fide.

Symbolum A. Mellij.

**A**ncipitis perfer funesta pericula castos,  
Mitte nec in superos crimina torta deos.  
Omnia nam reddet patienti prospera tempus,  
Lætior & quæ nunc hora sequetur, erit.

In Gallum,

**D**esine te stolido sapientem dicere fastu,  
Quem nullo tanguant, Galle, futura mettu.  
Qui non componit dubio præsentia fini,  
Hunc ego prudentem non reor esse uirum.

Ad Macrum.

**D**icis adhuc teneris uale te dixisse puellis?  
Amplius & blando nolle subesse iugos?  
Forsan es oblitus, quid nobis scripserit olim  
Musa probe digitis officiosa tuis.  
Scilicet Idaliam rursus quod miles ad arcem  
Sumpseris in molles Cypria tela manus.  
Etsi tunc falso iactaras te quoq; posthac  
In Veneris lata currere nolle uia.  
Non igitur credo, licet hoc in pectore uoluas,  
Te sic uirginium linquere posse chorum.  
Atqui si uitæ tibi displicet ordo prioris,  
Linque puellaris germinis omne decus.  
Pristina nos pulchro uestigia more secuti  
Femineum uolumus semper amare gregem.

Debet



EPIGRAMMATVM

Ad Hagenium.

**N**on tua sunt, forsā dices, epigrammata clara,  
Sed multum cere noctis habere solent.  
Verum est hoc, fatear. Quid enim tibi uera negarem?  
Hæc media scripsi carmina nocte tibi.

Ad tres amicos.

**T**res mihi fasciculo charus misistis in uno,  
Scripta ego sed uobis tera remitto tribus.  
Quous tres unum facile in certamine uincunt,  
At laus est, unum cedere nolle tribus.

In Alberti Hartungi arma.

**A**lbertus meus hoc Hartungus stemmate gaudet,  
Quod radijs ornat flammea stella suis.  
Illius uirtus olim sic splendida fiet,  
Stellas ut possit uincere sidereas.

Ad Estherum.

**S**i tua quos pariat luctus absentia, queris,  
Quod sequitur, claudum distichon istud habet:  
Te solum plorat uicinia nostra profectum,  
Nocturnos cum non audit, ut ante, sonos.

Ad Cornerum de aulica uita.

**Q**uem iuuat insana Cornere libidine captum  
Inter torquatos aulica uita uiros,  
In Stygij castris heu militat ille Tyranni,  
Aethernoq; animam damnat in igne suam.  
In album Constantini,

Constantine

LIBER

**C**onstantine petis doctissime foderis istud  
Symbolon, ut dextra dem tibi scripta mee.  
Ergo, damus prompti tibi quæ monumenta fauoris,  
Accipe: Perpetuo tempore nos ter eris.

Somnium.

**S**icut heri euincta te Cannia ueste uidebam  
Solerat Oceanas cum subiturus aquas.  
Sic indulgentes tacita sub nocte quieti,  
Stantem oculos etiam uidimus ante meos.  
Lactea quam nobis placuerunt crura, rotundum  
Quæ stabant supra conspicienda pedem,  
Qui nondum pressam pulchro candore renidens  
Penè uidebatur uincere posse niuem.  
Dura quod ergo negant uenientis tempora noctis,  
Das mihi non Parca, somne benigne, manu.  
Quid tibi pro tanta meriti pietate rependant,  
Somne dator tantum mi studiose bonis.  
Nostris efficiam securus in ædibus, ut non  
Clamosi timeas iurgia rauca uiri.

Ad Fistulam.

**Q**uæ mihi difficilem placasti sepe puellam,  
Quo fugis a domino fistula parua tuos  
Nemo potest mulcere suum, si forsā amica  
Asperior uultum sumpserit, ergo mane  
Deum esse inuocandum.

**D**iuinus quemcumq; fauor non ante laborem  
Esse pia fastum prosperitate facit,

## EPIGRAMMATVM

Irritus, in patula uilescit ut arbore pomum,

Cui matura suum non dedit hora decus.

Mi deus ergo tuum nobis largire fauorem,

Nostri celebrata te uocat ara prece.

In Gallum.

**I**ngredere nostras non inuitatus in edes.

Galle per ingratas officiose uices.

Hoc ego conijcio: Si te fortasse rogarem,

Ad uotum nolles, Galle, uenire meum.

In Gargilum.

**A**mpla peregrino sumis cochlearia ritu,

Dum comedis caesi uiscera cocta bouis.

Desine non solitor nobis adducere mores,

Qui nihil exculit, Gargile, moris habent.

Vrbanum nemo, nemo ciuile uocabit,

Absq; quod exemplo solus, inepte, facis.

Ad Spretherum.

**S**i ueram laudem, si magnas Bartolus ulli

Accepto tribuit munere diuitias,

Et ueram laudem, et magnas tibi Bartolus olim

Accepto tribuet munere diuitias.

In testudinem.

**Q**ui gerit Italiam Læso sub pectore flammam,

Quemq; graui cura bella puella premit,

Mouiter hæc digitis perstringat fila peritis,

Dulceq; Phœbea concinat arte melos.

Sentiet

## LIBER:

Sentiet hinc aliquod miseri mentem amoris,

Dum captat suaves lenis amica sonos.

In Podagram.

**N**am quid parua mei Molandi membra fatigat

Ad Stygios mitti digna podagra lacus?

Sæuior es furijis, crudelius ipsa profecto

Non agit in fontes torua Megeera uiros.

Nunquid erat magnum, strictos digitosq; pedesq;

Posse suum recte non facere officium?

Quin etiam auriculis adimas, oculisq; uigorem,

Quin quoq; priuetur robore lingua suo.

Inuadis dentes, collig; foramina stringis.

Nasus et ablato captus odore caret.

Nunc ego te, quicquam num possit acerbius esse,

Dic mihi, si forsan, queso podagra, potes?

Ad Elicerum.

**Q**uis tuus Alcinoi ceu fructibus hortus abundat,

Ex alio quare quæris habere locos?

An tua quas fruges producit terra, reponis?

Atq; placent nostri semina parua soli?

Esse mihi posses, in molli carmine ductor,

Ductorem uersus me petis esse tui.

Atqui, quod possum, tibi nil, dum uiuo, negabo,

Ne modo neruorum robora deficient.

Ad eundem.

**Q**uid nos hesternæ stomachati nocte, sodales,

Te sceleris prauis diximus esse reum.

I 2 Iure

## EPIGRAMMATVM

Iure quidem non immerito dixisse uidemur,  
 Ira tuoq; minor crimine nostra fuit.  
 Optati mihi solus eras remorator amoris,  
 Qui mea tardabat gaudia, solus eras.  
 Sic excusatus quantumuis crederis esse,  
 Quod dicit: res hæc non mihi nota fuit.  
 Non tibi nota fuit? quare uigilauius ergo?  
 Formosam quare lusimus ante domum?  
 Nunquid propterea, si ianua clausa pateret,  
 Oblata ut nollem commoditate frui?  
 At feci, nil commoditas me inuit aperta,  
 Sic te successus impediende meos,  
 Magno dum nisu te quærens undiq; uoce  
 Alta clamarem: Bartolomæ ueni,  
 Bartolomæ ueni, mihi ianua dura resultat,  
 Quæ modo pro uotis non erat arcta meis.  
 Crede mihi cunctis prodest occasio rebus,  
 Est etiam nostro corripienda choro.  
 Hæc nunquam nobis occasio tanta redibit,  
 Amissa est, bello te duce, quanta mihi.

Ad Macrum:

**S**icne rapax ignis renouata est flamma sepulchri  
 Amissusq; semel sicne rediuit amor?  
 Sic fuit extincti iactatio uana caloris?  
 Qua uelut eximia laude superbus eras.  
 Dicebas, memini: laqueos effugimus omnes,  
 Quos seruit incautus Cypria Nympha uiris.

Retibus

## LIBER.

Retibus hæud unquam posthac capiemur iisdem,  
 Qui fuerat magnus, desijt esse furor.  
 Propositi sed certa tui sententia lusit,  
 Accenso uehemens igne reuixit amor,  
 Ardens teq; premit maiori flamma calore,  
 Quæ tibi de paruo folle renata uiget.  
 Ignis enim ueluti nutritus fomite sicco  
 Scintilla flagrat fertiliore, Macer,  
 Idalia rursum sic tu quoq; cusside læsus  
 Sæstator Paphiæ mollior artis eris.  
 Nunc demum ceu sis furij, et percutus Oestro  
 Fœminea gestas uulnera facta manu.  
 At gaudere potes, non fers ea uulnera solus,  
 Ipse etiam tali compe de uinctus eo.

Ad Luderum inter aliã.

**Q**uamuis in mollem facile delabor amorem,  
 Sed premet hoc posthac nulla puella caput.  
 Postremo Paphia flagrare uidebit Oenus  
 Me flamma, Cyprij sint procul ergo doli.  
 Sit procul omnis amor, causas uitabimus omnes,  
 Ex quibus Idalio nascitur ansa malo.  
 Gaudeo me tantam sic euasisse ruinam,  
 Posthac imponet nulla puella mihi.

Ad Georgium Agricola.

**Q**uod teneat nostras miraris Cannia sensus,  
 Vertitur atq; leui uocis origo nota,

LIBER

**EPIGRAMMATVM**  
 Quo tamen id facias animo, quo iure loquaris,  
 Non opus est uariò multa probare modo.  
 Non amo, si nescis, canna, ut rere, palàstres,  
 Quicquid & abiecto pondere uile iacer.  
 Sed nostram uexat pulcherrima Cannia mentem,  
 Cannia uirginei gloria prima chori.  
 Qua nihil in terra uiuit generosius ista,  
 Quam uirèis largis irrigat Oenus aquis,  
 Que meruit nomen pulchro candore renidens,  
 Quod niuea morum dexteritate dedit.

Ad Macrum.

**N**on humana, Macer, nec me diuina tenebat  
 Nympha; uelut falsa suspicione putat.  
 Quantumuis diuina magis me Nympha tenebat,  
 Si me deberet Nympha tenere, Macer.  
 Cum reliquis etenim prorsus quam non mihi Nymphis  
 Conueniat, locuples tu mihi testis eris.  
 Si nescis, nos ingenui tenuere sodales,  
 Cum quibus est semper uiuere dulce mihi.

Ad Ioannem Zenonianum.

**N**ulla tenent nostram tam diuina gaudia mentem,  
 Ut falso scribis, Zenoniane, mihi.  
 Non suaves meditor uersus, non carmina plango,  
 Non diuasq; coto mollior Abundantia.  
 In media populi turba, cum uero decoras  
 Quæcunq; uulgo sint placitura, moror.

In medijs aut duo choros (res uana) puellis,  
 Aut animo stulti uestior, atq; toga.  
 Aut madidi celebrans stultissima festa Lyæi  
 Temporis insanus pro ratione feror.  
 Improba quæ uulgi dum gaudia sector inertis,  
 Addita stat dulci cura, laborq; malo.  
 Ergo uide, ne me dicas audaci esse  
 Scilicet hoc plenum tempore letitia.  
 Nam cum principio qui non uult cernere finem,  
 Is temerè falsus dicitur esse, uale.

Ad Macrum.

**H**esternam quod luce meus conuiuia fuisti,  
 Esse puta factum non sine fraude, Macer.  
 Abieci nos te saturamus munere Cythi,  
 Implemus uili luxuriamq; cibo.  
 Lesbia tu nobis cornuti pocula Bacchi  
 Pones, & nitidas fœcula lauta dapes.  
 I nunc, diuitijs & sepius utere nostris,  
 Si placet, & si non seis nocuisse tibi.  
 Ad Lectorem.

**S**cripsimus hæc tenero cum gratæ calore iuuentus,  
 Et nostras uires extimularet amor.  
 Quisquis habes tetricam moroso dogmata mentem,  
 Hæc etiam leta ludicra fronte legat.  
 Cum solidos æta nobis firmauerit annos,  
 Maturò dabimus carmina scripta pede.

QUAEDAM

EPIGRAMMATVM LIBER!  
QVÆDAM IOAN. CLAVI DISTICHA.

De coniugio.

*Hæc tria coniugium firmant, redduntq; beatum,*

*Vna fides, unus lectus, & unus amor.*

Aliud.

*Quando est rupta fides, lectus uiolatus, amorq;*

*Nulla est in toto gratia coniugio.*

*Sententia Iuuenalis inuersa.*

*Semper habet risus, alternatq; gaudia lectus,*

*In quo concordet foemina, uirq; iacent.*

*Ventris amica est Venus.*

*Post epulas, luxumq; gula, foecundatq; Bacchi*

*Pocula seruescit uentris amica Venus.*

*Semper esse studendum.*

*Nulla dies abeat, quin linea ducta supersit,*

*Nec decet ignauium præterijisse diem.*

*A doctis discendum.*

*Est pudor à docto te nil didicisse magistro,*

*Quin age te docilem reddere, peritus eris.*

*De opera perditâ.*

*Indocilem puerum quicumq; docere laboras,*

*Littus aras, & erit gratia nulla tibi.*

*Sine Cerere, & Libero friget Venus.*

*Munera si Cereris tollas, & pocula Bacchi,*

*Deficit exusto frigida torrens Venus.*

*In Magistrum superbum.*

*Respice, quantum dorso Nemesium fers, respice quæso,*

*Inq; tuo regno disce tenere modum.*

IOANNES

IOANNES AVRPACHIVS NOBILI AC  
erudito iuueni Io. Geor. Romungio, S.

**C**VM paulo ante, q̄a nobis discessisti, verā  
animi tui nobilitatem, ingenium varijs, &  
multis artibus excultū, sincerā deniq; vite  
integritatem cognouissem, Romungi, ac dies ali-  
quor. suauissimis colloquijs tecum cōsumpsissem,  
non paruo me dolore postea tui desiderij affecit,  
et nō raro meā ipsius accusaui negligentia, quod,  
cū diu in vna ciuitate, ac simili ferē studio, dediti  
fuissemus, nō maturius te nosse inceperim. Perspi-  
ciebam, n. potuisse me nō mediocrem ex tua con-  
suetudine voluptatē, ac in studijs etiā conferendis  
utilitatē percipere, si ianua mihi fuisset amicitij tue  
citius aperta. Hoc autē eō luculentius p̄spicere, atq;  
sperare poterā, quod id ipsum te quoq; velle ani-  
maduertebā. Enimvero, cū vix alter alterū in pri-  
mo colloquio rectē inspexisset, ita inter nos cōplexi  
sumus, ut nemo facile maiorē in alterutro amorē  
esse erga alterū intelligere, atq; iudicare potuisset.  
Quæ res cū vehementer me oblectaret, cūq; tibi  
etiā quantē voluptati esset p̄sentificerē, volui eui-  
dentius aliq̄d amoris nri pignus, vel testimoniū  
saltē extrare, q̄ alij etiā, quantum studiorū ratio, &  
morū similitudo ad sincerā amicitia, hoc est, ve-  
ram animorū inter se cōiunctionem ponderis, &  
momenti haberēt, videre possēt. Hinc nomini tuo  
Lyricos hos versiculos inscripsi. Planē autē spero  
officiū tibi rheū p̄batū iri, cū tacito id ip̄m vultu  
iam iam abiturus à me petieris. Vale. Ingolstadtij.

I 5

IOANNIS

# IOANNIS AVR PACHII

ALTANI LYRICORVM

liber, ad Ioannem Georgium

Romungium.

## DE VICTORIA CHRISTI.

**I**mpigrum pleno sapiens vetustas  
Laudat Alciden vehementer ore,  
Qui ferus claua domuit trinodi

Horrida monstra:

Qui truces pressit manibus colubros,

Quos & in cunis puero iacenti

Miserat duro muliebris actus

Numine liuor.

Hellados latis quod in æsculetis

Nubefumanti genitos, equinis

Et simul notos pedibus cruento.

Marte subegit.

Quicq; vastabat miseræ Cleonas

Fertiles inter populator agros

Sæuus, occidit Nemeæ sub alta

Rupe leonem.

Nec tamen factis satiatus istis,

Cede quæ gessit valida, quieuit,

Regias turres etiam superbi

Ditis adiuit.

Et canem nodo triplici ligatum,

Fauce qui præceps iter impedire

Moliebatur

## LIBER

Moliebatur rabida supernas

Traxit in oras:

Hæcei lucis meruere sedem

Facta supremæ super axe mundi,

Si poetarum volumus prophanis

Crede libris.

Huius excelso fuit æmulator

Strenuus Theleus animo, labores

Ac tulit multos, Stygicq; vidit

Limina regni.

Restitit quamuis inimica rebus

Grandibus, fors egregio labori,

Dura quod passus socio perempto

Vincula luxit.

Nec tamen parua penitus reportat

Perditi laudem studij, sed ipsum

Pulchra conatum sequitur perenni

Gloria curiu.

Ergo quos noster merito triumphos

Hercules, & quanta, quor & trophœa

Semper, & quantum celebris decorem

Laudis habebit:

Qua lyra, quo carmine, quoue plectro.

(Non sat est viua resonare voce.)

Quaue laudemus reducem Camæna

Thelea nostrum.

Qui domos atri validas Auerni

Absq; tormento, iaculisq; Mauri

Absq; ferratis comitante cristis

Milite mouit,

Mouit,

LYRICORVM

Mouit ac diros erebi furentis  
 Impetus fregit, gladijs & armis  
 Absq; sed forti latus impeditus  
 Ense parentis.

Non ut oblati Hecaten triumphis,  
 Coniugem triftis raperet tyranni,  
 Siue pugnaret sibi non honesto  
 Ductus amore.

Ductus humani generis paterno  
 (Digna cantari pietas) amore  
 Gessit inuictæ pia facta grandi  
 Robore dextræ.

Impia culpa, miserq; lapsu  
 Namq; pollutos homines frementis  
 Tænari rex horribili premebat  
 Carcere clausos.

Vnde non illis reditus fuisset,  
 Noster hic si non Phlegetontis heros  
 Dissipaturus teretes catenas  
 Antra subisset.

Nulla sint ergo tibi nunc trophæa,  
 Fortis Alcide, tua gesta vanis  
 Perfonent scriptis, neq; iactet vllos  
 Fama triumphos.

Nullus Ægiden maneat feroci  
 Dextera quæ litus honor deorum,  
 Victor hic telo feriente Christus  
 Cuncta repressit.

Ad

LIBER.  
 AD VITVM AMERPA-  
 chium Præceptorem.

**C**Vris implicitus laboriosus  
 Tergo pondera sustines onusto,  
 Quæ non vile negocium facessunt,  
 Diuersas & agunt molestiore  
 In partes animum tuum recursu.  
 Rapta coniuge dum tibi relicta est  
 Rerum cura grauis domesticarum:  
 Charos dum labor omnis educandi  
 Natos in studijs tuis recumbit.  
 Quæ fidum pietas decet parentem,  
 Quæ virtus animum probat paternum.  
 Rerumq; improbitas scholasticarum  
 Dum te rauca fatigat immorantem  
 Diuinis rationibus docendi  
 Præcepto iuuenes salubriore,  
 Quare frontis habere nil putabor,  
 Qui te differo literis ineptis,  
 Præceptor vigili colende plausu,  
 Et nugis puerilibus subinde  
 Curas detineo seueriores.  
 Telum sed videas necessitatis,  
 Quod me compulit, horridum seueræ,  
 Dura quod miserè tenet catena  
 Me sub sorte maligniore captum.  
 Ignosces, nisi fallor, atq; dextram  
 Extemplo mihi porriges benignam.

AD

LYRICORVM

AD NYSSERVM.

**Q**uisquis rapaci luxuriam gula  
 Indulget, acrem ventris & imperium  
 Non frenat, illum beluini  
 Monstra gregis numeremus inter,  
 Nussere, sacrum qui colimus chorum,  
 Quem liberali terminus ocio  
 Delectat expertem, suavis  
 Gaudia quæ generet uoluptas,  
 Tristes, uidemus, quos ferat, exitus,  
 Damnosa luxu, crapula, deside,  
 Quos ægæa morbos & molesto  
 Corpora sustineant dolore,  
 Non imbecillas, corpore languido,  
 Narrabo uires, non tumidum caput,  
 Dum luxus, & Bacchi nefandus  
 Nos amor, & studium fatigar,  
 Vitæ timendum saepe periculum,  
 Incurrat, alto gurgite qui gula  
 Immerfus, ignorat proteruæ  
 Ponere rite modum iuuentæ,  
 Testatur id, uexors Ithaci comes,  
 Ceruicæ fracta qui cecidit domo,  
 Scalæq; summo de recessu  
 Præcipiti perit ruina,  
 Fortassis acri cum domino suam  
 Fausito reuectus remige patriam  
 Vidisset, exactoq; bello  
 Æolias reperisset arces;  
 Cornutus illi si Bromius necem  
 Non attulisset, nectare qui suo

Plures

LIBER

Plures hianti mittit Orco,

Quam gladijs furiosa Thrace,

AD ESTRERVM.

**L**Vxorino celebranda cantu

Orta se nobis hodie uidendam

Exhibet lætis radijs, & alto

Lumine plena,

Quæ fores anni patulas Iano

Clauæ uenturi referat, suorum

Mensium quod liberiore possit

Currere campo;

Multa quæ secum auspicio putatur

Ferre ceu sumpto bona, commodorum

Atq; multorum uehit euidenti

Omne plenam

Copiam, Nostri celerat sub arcum

Frigidum cæli, pedibusq; Iaram

Huius haud tardis properat subire

Climatis oram,

Sol fatigato tepidosq; curru

Porrigit nobis propior calores,

Frigoris iamiam truculenta uirtus

Cessat inertis,

Omne quo gratas animal manente

Perderet uires, propriumq; succum,

Sic & exhausto fieret calore

Putre cadauer,

Prodeunt ortu quoq; longiores

Prospero soles, breuitas dierum

Cessat,



LYRICORVM

Cessat, vt fiant magis apta nostris  
Tempora rebus.

Cuncta molli commoditate rident,  
Exuunt formas veteres, habentq;  
Propter insignem melioris anni

Gaudia cursum.

Quem deus faustum tibi, candidumq;  
Opto fortunet, sine tibe totum  
Finiat, mihi tribuens salubrem.

Agra dextra.

AD NVSSERVM

Effam soluit heri Macer carinam

Visurus patris, amice, terras,

Noster scilicet intimus sodalis,

Qui vero mihi iunctus est amore,

Qui vero tibi iunctus est amore,

An tu non etiam, cruenta faui,

Mi Nussere times, ceterua Martis

Ne cursum remogetur institutum

Ingentiq; periculo tumultus,

Illis qui fremit in locis, fatiget

Hæc me sollicito timore plenum

Torquet cura. Licentiæ superbæ

Sic est ianua nunc aperta, tantus

Concusso furor immoratur orbi,

Virtus spreta iacet, laborq; veræ

Doctrinæ studiumq; friget æqui.

Olim præditus innocente vita

Vates, dum cecinit suam puellam,

LIBER

Per fyrtes faciebat æstuosas

Infanis iter absq; tutus armis.

Heu nunc integritas honesta vitæ

Nulla tuta loco, sed in profundis

Semper trunca molestis tepescit,

Quæ nos vt feritas relinquat, alma

Cum prisco redeatq; pax honore

Summi gratia faxit hoc Tonantis,

Ad Macrum, & Streblum.

Vos tam turpiter esse negligentes

Admiror vehementer, o sodales,

Huc vestri veniunt quidem, carentes

Sed vestris homines subinde scriptis,

A nobis veniunt, sed adherentes

Bis sex hendeca syllabos minutos,

Et nobis etiam liceret esse

Tales, atq; perinde negligentes,

Ni vos plus oculis meis amarem,

Et me scribere cogerent amoris

Nostris vincula, quæ ligata firmo

Nodo sunt Adamantinæ catenæ.

In libellum Nugarum.

Nostras qui cupitis videre nugas

Frontem ponite mox Catonianam,

Mores ponite mox Timonianos,

Lætam qui renuunt serenitatem,

Nullum lætitiæ modum requirunt,

Rugosam sed amant seueritatem,

Contemnuntq; iocos, facetiasq;

K

Nugarum

LYRICORVM

Nugarum nihil hic nisi est aceruus,  
 Crassis mixta faciensq; sylua,  
 Risum quæ capiunt suauiores,  
 Ac aures fugiunt seueriores.

AD HOROLOGIVM AN-

drea Masaueri.

Q Visquis incertos remeante cursus  
 Sole non æquâ trutinat bilance,  
 Nescius vitam radiante viuit  
 Luce carentem.

Quis potest vafros hominum labores,  
 Et satis digna celebrare laude  
 Nos quibus docti meliora densas  
 Lingimus vmbra:

Cerne mirandas apicis figuras,  
 Qui stilo monstrat positus recuruo,  
 Quæ diem festum trahat hora iamiam  
 Siue renatum.

Hanc Masauerus posuit tabellam  
 Impiger cuius labor ad supremos  
 Nititur cœli volitante gressu  
 Scandere tractus.

AD IOANNEM SAMBVCM.

Q Væ, Sambuce, mihi legenda nuper  
 Docti carmina miseræ poëtæ,  
 Legi, magna fuit mihi voluptas  
 Ac tanti præcō videre librum.  
 O pulchrum lepido nitore librum,  
 O clarum nitido poëma versu.

Qualem

IN LIBERVM I.

Qualem turba noctem probat sororū,  
 Qualem Phoebus amat, suisq; tantum  
 Dictat vatibus, & sacris alumnis,  
 Non istis triualibus poëtis,  
 Quorum plurima turba nunc vbiq;  
 Effundit miseræ cacationes,  
 Molles aurículas quibus fatigant,  
 Deformi sonitu tenentq; captas.  
 Hic verum specimen vetustioris  
 Doctrinæ (mihi quod videtur esse)  
 Elucet, reliquum tuis relinquo  
 Doctis auribus, atq; liberali  
 Sanè iudicio, quod eruditum  
 Mirari melius potes poëtam,  
 Quam nos tollere laude gloriosa.

AD ESTRERVM.

S Alue lynx oculata, docte salve  
 Vates, atq; latentium solutor  
 Gryphorum bene mi perite salve,  
 Iamiam te queo tortuosiorum  
 Quavis dicere sphinge, mi sodalis,  
 Ac ipso magis Oedipo sagacem.  
 Absoluis cito duplicem laborem,  
 Ac tantummodo distichis duobus,  
 Sermonisq; mei vides latentem  
 Sublata dubitatione fucum;  
 Proponisq; alium repente Gryphum,  
 Cuius pernego clausulam priorem,  
 Cum rectè positum loco supremo

K 2 Possim

LYRICORVM

Possim non ita forsitan negare;  
Verum lynx oculata, tortuosa  
Sphinx, ac Oedipe mi perite salve.

Ad Ioannem Zenonianum.

NE fortasse putes, Zenoniane,  
Te solū lepidas uidere Nymphas,  
Istos Hendeca syllabos habeto;  
In nostra dominatur vrbe diua,  
Quæ formæ precium venustioris  
A pastore tulisse nunciatur  
Indignantibus interim Deabus,  
Cum se quæcūq; putaret esse dignam,  
Cui formæ precium venustioris  
A pastoribus omnibus daretur,  
In nostra dominatur vrbe Phœbus  
Cum turba simul integer iouena,  
Delector vehementer hoc, & illo  
Coetu, deueneror chorumq; vtrumq;  
Interdum mihi blandulæ puellæ  
Tristes exhilarant meos ocellos,  
Interdum mihi suauē blandientes  
Omnem tristitiam fugant Camænæ,  
Vnum me malè vexat, idcūq; solum,  
Te quod priuor, & optimis amicis,  
In vita reliqua satis beatus  
Nil præter queror optimos amicos,

Ad Estrerum.

SI forsan patrios sapias, domiq;  
Ducis fronte seueriore vultus,

Sic

LIBER.

Sic suadente molestiarum aceruo,  
Magni quem pariunt tibi labores,  
Istas perlege mox cacationes,  
Merdosi malè olens opus poëtæ,  
Quod stultus tamen ac iners poëta  
Nasutum voluit videre mundum,  
Sî non impedisset eruditæ  
Hoc Estrere cohors amica turbæ,  
Istas ergo vide cacationes,  
Si forsan placet, & potes videre,  
Ridebis, nisi fallor, atq; frontem  
Lætus proijcies seueriorem,  
Curandum tamen interim memento  
Ne febris mala, siue te catarrus  
Inuadat subito sub has legendo  
Nugas, & miseræ cacationes.

AD CANNIAM.

Dicis Cannia me tibi placere,  
Mores atq; meos tibi probari,  
Non miror vehementer, o voluptas,  
O vitæ requies, decusq; nostræ,  
Nam dico quoq; te mihi placere,  
Mores atq; mihi tuos probari,  
O semper tibi sic placere possim,  
Mores atq; mei tibi probentur,  
Nec mutari animum tuum timerem,  
Vt plerunq; solet puellularum  
Inconstans & inauspicata turba,  
Quis vitam coleret beatorem.

K 3 AD

LYRICORVM  
AD BARTOLOMEVM

*Maduicium*

**D**onaſti lepidiſſimum libellum  
Mimus grande mihi, quod inter amplas  
Quas grex noſter opes habet, locabo,  
Inter ſcilicet optimos libellos,  
Rectè qui docilem beant iuuentam,  
Mores ingenuos alunt, & ornant.  
Ergo, quod tibi poſſumus vicillim,  
Donamus facili Maduicure dono:  
Fructus, quos meus educauit hortus,  
Quem Phœbus Claria poliuit arte.

AD ERASMYM VENDIVM

**H**umana quantum vita periculi  
Quam luſtuofosq; varios ferat  
Caſus, & omnes actiones  
Quam ſubita pereant ruina,  
Quaſcunq; præceps hæc hoim labor  
Non expeditis rebus, & ordinem  
Turbante perfectum procella  
Inſtituit ſine mente ſana:  
Exempla cautos erudiunt viros,  
Hærenſq; ligno diua volubili  
Quicquid ſuperbo ſacientis  
Excitat ingenio tumultus,  
Quam luſtrat alto lumine Cynthius  
Terram, furentis dura periculi  
Vexata quæ non vniuerſos  
Pondera ſuſtineat per annos.

Quod

IV LIBER. II. I

**Q**uod fluctuoſis non mare concitat  
Auſtris, poteſtas cui data Caſpium  
Sæuire crudeli per æquor  
Imperio, trucibusq; ventis:  
Seu diſtidenti pectore cogites  
Conere quicquid, quicquid agas prius,  
Seu negligenter prouehare,  
Omnibus his dominatur error:  
Languentis ergo vulnere corporis,  
Exaſperato quæ genis impetu  
Commotus, abiecto dolore,  
Depositisq; feras querelis,  
Prauoscq; purges, quæ celerem piæ  
Mentis vigorem, turpiter obruunt,  
Si forſan irrepſere, nauos,  
Hæc minuet tibi cura morbum.

AD QVENDAM ALTE

*rius cuiſdam nomine.*

**M**E forſ, & ratio neceſſitatis  
Verſus ſcribere nunc tibi coegit,  
Me forſ, & ratio neceſſitatis  
Iuſſit mittere noctuas Athenas,  
Et multis fieri modis ineptum,  
Sic in te Latij vigent lepores,  
Sic te Cecropiæ regunt Camœna,  
Viles ut nequeas videre triſti  
Nugas abſq; moleſtia perinde,  
Vt, qui diuitijs abundat, aurum,  
Non ferrum, neq; ſtanneos monetæ  
Numos vilis amat, manuq; voluit.

K 4 AD

LYRICORVM

AD ALIVM SIMILITER.

**V**erbis non satis explicare possum  
 Quantis te studijs, amore quanto  
 Te complectar, & illa, quæ favoris  
 Iamdudum mihi signa præbuisi,  
 Quam grato repetam frequenter ore,  
 Magni muneris & loco reponam,  
 Det vires modò, gratiamq; nobis,  
 Qui summos regit, infimosq; tractus,  
 Insigni bonitate nosq; seruat,  
 Omni me studio tibi probabo.

AD ALIVM ITEM.

**S**i nostram nihil impediret isto  
 Musam tempore, si perenne nobis  
 Exculci studium laboris esset,  
 Ac tempus sineret, negociumq;  
 Quod nostros humeros p̄mit molesto  
 Curæ pondere, semper impeditæ,  
 Non tali mihi scriberere versu,  
 Pro virtute tua sed ampliores  
 Laudes acciperes, quod ista paræ  
 Velox non patitur more facultas.

MACER AVRPOCHIO.

**V**T des mihi rogavi sepe cingulum,  
 Hispanicum, seu baltheum,  
 Maiora multò cum prius donaueris  
 Mihi quæ sunt instar pignoris,  
 At cingulum dabis scio: Nam te rogo  
 Per dulce nomen Canniæ.

AVR.

LIBER.

AVRPACHIVS MACRO.

**Q**uòd me nomine Canniæ rogasti,  
 Donamus tibi munus haud supbo  
 Sprenendum, Macer erudite, fastu,  
 Cuius nomine non negare vellem,  
 Ipsam si peteres, amice, vitam.

AD MACRV M IN BACHA

nalibus iocus.

**V**T amur studijs, quibus iuventa  
 Florens vititur, integrosq; nobis  
 Ætas dum iuuenilis addit annos,  
 Læto percipiamus ore iamiam  
 Nostris emolumenta digna rebus,  
 Delirasq; senum seueriorum  
 Curas vnus æstimemus assis,  
 Lapsis temporibus senecta nancq;  
 Occulto veniet seuera gressu,  
 Quæ conuiuia, quæ iocos, amores,  
 Lusus quæ teneros, salesq; cultos,  
 Contemnit choreas, facetiasq;  
 Tempus iam tibi cōmodum relucet,  
 Quando flagrat amore te recenti  
 Formosas roseis Camilla labris  
 Nymphas equiparans, mariq; natam,  
 Gestu quæ superat venustiore  
 Centum myriadas puellarum,  
 Faustis ominibus nouam Camillam,  
 Et feliciter, & latenter arde,  
 Non vestris noceant iniqua votis

K 5 Vnq;

## LYRICORVM

Vnquam nubia non sinistra Iuno  
Semper Cannia me suum tenebit,  
Promissis modo, fides suis, fidemq;  
Non frangat stabili vigore pactam.  
Nuper, sulphureas aquas Oeni  
Cum fulcante relinquerem carista,  
Et desiderio tui venirem  
Huc, albas vbi voluit Ister vndas  
Circum moenia, quæ vider, colitq;  
Pimplææ patet optimus caeteruæ.

## AD CHRISTOPHORVM

*Kæserclium.*

QVod nunq; dubitare, Kæsereli,  
Quin te semper amem, colamq;, dicis  
Quam vera ratione dicis illud,  
Non fiducia te benigna faller,  
Non frustrabere, mente non fouebis  
Spem, quæ ludat, inepiore, vanam,  
Magnis officiis, amore magno  
Vincam quicquid habes opinionis  
Nostro de studio, favore nostro,  
Fortunet tibi sic deus futuri  
Felix auspiciu' benignus anni.

## AD SAMVELEM, QVILCHEL

*bergum medicum.*

VELlem celebri carmine splendida  
Cantare laudes, illa, quibus tui  
Florente, Quichelberge, vita  
Nominis aura refulset, inter  
Stellas

## AD LIBERIVM

Stellas minores Cynthiis or micat,  
Qui luce claros irradiat sua,  
Quos ipse contemplatur orbis  
Iuppiter æthereum per axem:  
Si largiores ingenio meo  
Vires dedisset, qui sua subditis  
Mortalibus non factiosa  
Munera distribuit bilance,  
Doctrina, mores, ingenij vigor  
Humanitatis munera, te, quibus  
Charumq; sic, gratumq;, reddis,  
Abijciunt humilem Camœnam,  
Quicquid Galenus, quicquid habet libri  
Vetustiores Hippocratis, velut  
Calles ad vnguem, cedat Atlas,  
Cedat Agræon tibi, cedat ille,  
Pœante natum qui medica manu  
Sanauit, atro cuius erant Hydræ  
Frendentis horrendum veneno  
Saucia crura, pedesq; læsi.  
Te nulla febris frigidior latet,  
Te nulla febris feruidior latet,  
Omnesq; morborum cohortes  
Iudicio trutinæ acuto,  
Nullam vadosa mittit ab Africa  
Possessor herbam diues, vbi aureo  
Formosa focundi subinde  
Flumine prata rigantur agræ  
Quam non receptis vsibus applices,  
Cuiusq; vires arte probabit  
Humana

LYRICORVM

Humana non in membra possis  
 Inferere. Has tibi vernus vuas,  
 Dulces honor produxit idoneo  
 Cū tempus autumnō veniet suum,  
 Cultura iugis vitearum  
 Quos tibi paruriet racemos.

AD IACOBVM PALARIVM.

Vis nomenq; tuum, librumq; nostris  
 Ornatum tibi versibus redire,  
 Expectas nitido toreuma vultu,  
 Pulchra compositumq; carmen arte,  
 Non clarum nitido toreuma vultu,  
 Pulchra conspicuumq; carmen arte  
 Isto tempore fabricare possum:  
 Omnes per Dryadasq; Gratiasq;  
 Iuro, nomen Apollinisq; testor,  
 Et, si sunt alij sacris in antris  
 Placatisq; dñ, deæq; castæ,  
 Fessæ cum solitus vigor Thalææ,  
 Et, cum spiritus integer redibit,  
 Formosum nitido toreuma vultu,  
 Pulchra compositumq; carmen arte  
 Mittam, pignus amoris esse nostri  
 Quod possit, tibi meq; comprobare.

AD IOANNEM ALLINGERVM.

Iam pridem tibi debui favoris  
 Nostri mittere pignus, atq; voto  
 Astrictum tibi liberare pectus,  
 Iam pridem volui tibi favoris  
 Nostri mittere pignus, atq; voto

Astrictum

LIBER.

Astrictum tibi liberare pectus,  
 Sed sicut voluisti, debuisti,  
 Non certe potui tibi favoris  
 Nostri mittere pignus, atq; voto  
 Astrictum tibi liberare pectus,  
 Ergo quod male, temporisq; causa,  
 Tornatos, tenuesq; frivolosq;  
 Versus mittimus, illud esse factum  
 Credas, ne penitus tuum favorem  
 Perdamus, meritoq; negligentes,  
 Allingere, vocemur aut superbi.  
 Cum posthac mihi tempus, atq; cornu  
 Rerum copia suppetet benigno,  
 Vincam speremq; tuam, fidem, piumq;  
 Quo me non leuiter foues, amorem.

AD VITVM STROBELIUM.

I, Totum mea peruagare mundum,  
 Quo te Musa pedes ferent, & illum  
 Tam dulcem, lepidum, bonū, sodalem  
 Vitum Strobelium repente quære,  
 Siue illum gelidæ niues, & acris  
 Tempestas patriæ moratur oræ,  
 Quæ monstrant rigidū cacumen alpes,  
 Quas lambit vitreis Oënis vndis:  
 Seu cursu meliore iam profectus  
 Felix Aufonias peragrat vrbes:  
 Defesso pede nec prius resiste,  
 Quam te viderit ille, cum videbit  
 Fessam te nimio venire cursu,  
 Præbebit solitum tibi favorem,  
 Portabitq;

## LYRICORVM

Portabitq; humeris suis, statimq;  
 In latis quid agam remotus oris,  
 Percontabitur. Hæc meis referre  
 Verbis, quæ tibi mando, nō grauare:  
 Viuit, sæpe tuumq; nomen alto  
 Voluit pectore, te rogatq; claras  
 Quicquid per Latij videbis vrbes,  
 Quod mētem capit, & potest morari,  
 Vt sic inspicias, ames, sui ne  
 Non cures tamen, & feras amorem,  
 His dictis ita, vel domum redito,  
 Vel charum comitare, Musa, Vitum.

### AD HENDECASYLLABOS.

**H**uc huc hendecasyllabi venite,  
 Huc huc quicquid habetis et lepōrum,  
 Huc huc quicquid habetis & iocorum,  
 In nostræ date gratiam puellæ.  
 Huc huc omne genus facietiarum,  
 Huc lætæ veniant iocationes.  
 Quicquid, Cannia, te potest iuuare,  
 Quicquid te facilem mihiq; reddit,  
 Quod si sensero me perinde amari,  
 Tunc est summa mei peracta vōti,  
 Vobis Hendecasyllabi repente  
 Nectetur gracili corona myrto  
 Ob vestræ meritum fidelitatis.  
 At si sensero nō valere prorsus  
 Vestras blanditias, iocos, lepōres,  
 Nudo conspiciemini capillo,  
 Aut vrtica teget comas fluentes,

Ob

## LIBERVS II

Ob vestram simul infidelitatem  
 Accedam Cypriæ deos querendo,  
 Vt vobis adimant facietiarum  
 Quicquid possideatis & lepōrum.  
 Quare nunc etiam rogo fideles  
 Huc huc Hendecasyllabi venite,

### IN PETRVM.

**Q**uem nūq; recitant mee frequenter  
 Non legit vetulus tuas poëta  
 Excultissime fabulas Terenti,  
 Nam non diceret: Implicate panem.

### AD CANNIAM.

**I**urias mea Canniella Nonas  
 Iucundo celebrabimus cachynno,  
 Multa lætitiæq; gaudioq;  
 Luxu splendidioris apparatus  
 Regali, lepidissimis choræis,  
 Vix omnes capiat domus choræas,  
 Vix omnes capiat domus cachynnos.  
 Fac adsis modo, fronte liberali,  
 Fac adsis hilari benigna vultu:  
 Et suauēs aderunt iocationes,  
 Et nil non aderit facietiarum,  
 Et nil non salibus, iocisq; sparsis  
 Conditum lepido iuuabit actu.  
 Nonæ Cannia lunæ hoc requirunt,  
 Quæ nobis in amore sunt Calendæ.

Lyricorum libri finis.



